



**R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS.
Theologiæ Professoris Opera**

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum &
perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam,
perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

Pars Tertia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79597)

IN QVA RESPONDETUR AD
OMNES EXCVSATIONES, QVIBVS HO-
MINES SE TVERI SOLENT, QVI
Virtutem nolunt amplecti.

CONTRA PRIMAM EXCVSATIO-
nem eorum, qui emendationem vite, studium-
que virtutis differunt, in
futurum.

CAPVT XXV.

Neminem inficiari posse existimo, quin,
quæ hæcenus à nobis dicta sunt, suffici-
ant, imò abundè, & plus quàm satis
probent, principale nostrum institutum
& propositum, de quo initio nos dispu-
taturomp miseramus, hoc est, vt hominum corda
(presupposita diuinagratiâ) ad amorem & studium
Virtutis inflecteremus. Ceterum etsi promissioni fa-
tisficcille videamur, habet tamen adhuc malitia hu-
mana suas excusationes, apparenter veras: quibus
suam defendunt negligentiam, & seipsos in malitia
sua consolantur, vt inlinuat Ecclesiasticus dicens;
Peccator homo vitabit correctionem, & secundum vo-
luntatē suam inueniet coparationem: hoc est apparētem
excusationem. Idem & Salomon indicare videtur, cū
dicit, Occasiones querit qui vult recedere ab amico. Ita
qui recedere vult à Deo, vt peccatores faciunt, qua-
runt, & tandem inueniunt aliquam harum excusati-
onum; Quidam differunt penitentiam in futurum;
aliqui referunt vique ad finem vitæ; nonnulli dicunt
se ab isto studio (quia tam laboriosum est) abhorrere:
quidam spe diuinæ misericordiæ se consolantur, exi-
stimantes sese fide, & spe, absque charitate posse sal-
uari, alij denique amore mundi huius capti, nolunt
felicitatem, quam in illo possidere se sepulant, verbi
diuini promissionibus permutare. Hæc fere sunt frau-
des, atque errores, quibus humani generis inimicus
intellectus hominum illaqueat; vt eos tota quasi vita
captiuos in peccatis detineat, quò mors eos tandem
imparatos furtim opprimat. Ad has omnes cauilla-
tiones, excusationesque friuolas respondebimus in hac
ultima libri parte. primum verò omnium eorum ob-
iectionem diluimus, qui differunt emendationem vitæ
in tempus futurum, quæ excusatio penè omnium
est vniuersalis & frequentior.

Sunt nonnulli, qui quidem fatentur vera esse om-
nia, quæ dicta sunt hæcenus, nec esse conditionem aut
statum securiorem illorum, qui virtutem sectantur:
imò & se illam velle amplecti, non posse autem nunc
futurum verò aliquando tempus aliud, in quo id po-
terunt maiori cum commoditate & perfectione præ-
stare. Ita B. Augustinus de seipso dicit; Non erat Do-
mine, quod tibi responderem dicenti mihi: Surge qui
dormis, & exturge à mortuis, & illuminabit te Chri-
stus: & vndique ostendenti vera te dicere, non erat
omnino quod responderem veritate conuictus, nisi
tantum verba lenta & somnolenta; *Modo, & ecce
modo: sine paululum*: Sed modò & modò non habe-
bant modum, & siue paululum, in longum ibat. Ita
& hodie mali cum Deo agunt: quotidie tempus pro-
longantes, & nunquam ad veram conuersionem per-
uenientes. Hanc esse imposturam Serpentis antiqui
(cui non est nouum aut insolens mentiri, & miseros
homines decipere, non difficile est probare: sed & si
hoc conuicero, puto omnem è medio sublatam fore
controuersiam. Scimus enim omnes nihil ab homine
Christiano magis optare debere, quàm salus anima-
rum: ob eamque causam necessariò requiri emenda-
tionem vitæ, sine hac enim neminem saluari posse in-
dubitatum est. Adeò, vt nihil hic in quaestionem veni-
at, præter tempus, in quo emendari vita debeat. in re-
liquis nulla est dissensio. Tu dicis conuersionem diffe-
rendam in tempus futurum. ego in præfenti fieri de-
bere assero. Videamus itaque vtra sententia sit pro-
babilior, & veritati conformior.

Antequam autem de facilitate differamus, quæ-
so dic mihi, quis tibi futurum tempus promittit? quorū fu-
erunt homines, quos inanis hæc spes misere fefellit? Greg. hom.
Deus, inquit Gregorius, etsi poenitenti veniam spopō-
dit, peccanti tamen crastinum non promittit. Huic nō
dissimile est illud Cæsarij; Dicit aliquis: Cum ad sene-
ctam venero, tunc ad poenitentiam medicamenta con-
fugiam. Quare hoc de se fragilitas humana presumat,
cum diem vnum in vita sua in potestate non habeat?
Credo equidem inani hac persuasione animas innu-
merabiles perijsse. Sic periit diues ille Euangelicus, de
quo scribit B. Lucas, quod cum ager eius vberes fru-
ctus produxisset, intra se cogitauerit, dicens; Quid fa-
ciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et di-
xit: Hoc faciam: Destrui horrea mea, & maior a faci-
am, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bo-
na mea, & dicam anima meæ; Anima habes multa bo-
na posita in annis plurimos, requiesce, comede, bibe, epu-
lare. Interim dum miser ita secum cogitat, audita est
vox, dicens illi: Stulte, hac nocte animam tuam repe-
runt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Quæ igitur
maior esse potest stultitia, quàm hominem velle pro-
pria auctoritate sua disponere id, quod futurum est:
non alter atque si ipse præflet temporibus atque mo-
mentis, quæ Pater æternus posuit in sua potestate? Et
si Ioannes dicat, quod Filius solus habet clauēs vitæ
atque mortis, vt claudat & aperiat, cui, & quando illi
placet: quomodo audeat vilis & abiectus vermiculus
sibi attribuerē vel usurpare hanc auctoritatem? Sola
hæc audacia digna est insigni supplicio puniri, vt ni-
mirum in futuro locum non inueniat poenitentia is,
qui in vanum transigit tempus, quod Deus concessit,
quò sic vexatio det intellectum, & stultus hoc suppli-
cio fiat prudentior. Cum autem tantus sit numerus e-
orum, qui hoc modo castigati sunt, consultò facturi
sunt homines, si alieno periculo securitatem eruerē
dicant; sequentes optimū consiliū Ecclesiastici
dicentis, *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne dis-
feras de die in diem subitò enim veniet ira illius, & in te
pore vindictæ disperdet te.*

Sed demus vitam fore tibi tam diuturnam, quàm
tibi ipse polliceris: quid quæso erit facilius? nunc eam
emendare, an procrastinare, & conuersionem extra-
here? Vt autem melius intelligas quod dicimus, obi-
ter primarias causas recensebimus, ex quibus oritur
hæc difficultas. Nasçitur itaque illa non ex impedi-
mentis & occupationibus, quas illi imaginantur: sed
ex malo habitu, & corruptela peruersæ consuetudi-
nis vitæ nequiter antea actæ, quam mutare, mors quæ-
dam esse videtur, vt dici solet. Asperam enim nobis,
ait B. Hieronymus, & insuauem virtutum viam, ni-
talia facit vitiōrum consuetudo. Est enim consuetudo
altera natura: illam, autem expellere, est quasi natu-
ram ipsam vincere, quæ maior esse nō potest victoria,
Hinc est quod B. Bernardus dicit, Postquæ aliquod
vitiū multorum annorum consuetudine confirma-
tum

Eccl. 32, 28.

Proverb. 18, 1.

Varia pecca-
torum effu-
gia.

Contra illos,
qui peniten-
tiam diffe-
runt.
Aug. lib. 2.
Confes. c. 5.
& lib. 8. Co-
fess. c. 7.

Statu quæ-
stionu.

Greg. hom.
12. in Euang.

Cæsarij.

Luc. 12, 18.

Act. 1.

Apocal. 1.

Iustum Dei
iudicium.

Prou. 19.

Eccl. 5, 7.

Causa vnde
nasçatur dif-
ficultas con-
uersionis.

Hieron. ad
Celantiam
c. 4.
Bern. lib. de
Humilitat.
volunt. c. 12.
& lib. ser. 7
de dono S.
Spiritus.

tum est, particulari, & quasi miraculoso diuinæ gratiæ opus est adiutorio, ad illud superandum & extirpandum. Proinde Christianus cauere diligenter debet, ne in consuetudinem alicuius vitij deueniat: cum enim aliquid in habitum abierit, difficulter expellitur: sic & vitium vsu diuturniore confirmatum, sine particulari Gratia Dei, vt ait Bernardus, non effugitur.

II

Luc. 11, 21.

III

Eccl. 62.

Proficiscitur etiam hæc difficultas, à potentia Dæmonis, qui peculiare quoddam imperium habet in anima peccato mortali obnoxia. Ille enim fortis iste armatus est, de quo in Euangelio dicitur, qui diligentissima cura custodit atrium suum. Nascitur etiam ex eo, quod Deus procul abest ab anima turpitudine peccati immunda. Hæc enim est custodia, quam constituit Dominus super muros Hierusalem: quæ tanto longius abest à peccatore, quanto ipse peccator peccatis est onustior. Ex hac absentia maxima miseria deriuatur, sicut ipse Dominus ait per Prophetam dicens? *Va eis qui recesserunt à me.* Et, *Va illis cum recessero ab eis.*

Osee 7, 13.

Ibid. 9, 12.

IV

Apoc. 11.

Simile.

Hoc autem est secundum illud *Va*, cuius Ioannes in Apocalypsi facit mentionem. Procedit denique hæc difficultas de corruptione potentiarum animæ nostræ quæ grauiter perturbantur, & corrumpuntur per peccatum, licet non seipis. in suis tamen operationibus & effectibus. Quemadmodum enim vinum aceto deprauatur, fructus à vermibus corroduntur; & quodcunq; contrarium à suo contrario corrumpitur; sic & omnes animæ potentie perturbantur per peccatum: quod maxime inimicum est, & contrarium nostris animabus. Quapropter per peccatum intellectus obscuratur, voluntas debilitatur, appetitus ab ordine suo dimouetur; liberum arbitrium infirmatur; facitque vt homo nec dominus sit sui ipsius, nec operum suorum; etiam si nunquam omnino amittatur aut fides, aut sui libertas. Sunt autem potentie istæ tanquam instrumenta, quibus anima bonum operatur: & tanquam rotula horologii vitæ bene ordinatæ; quæ cum ab ordine diuagantur, quid ab ijs sperandum nisi ataxia quædam, & totius horologii confusio?

An facilius nunc an postea conuertitur quis possit ad Deum.

Hæc sunt primariæ causæ difficultatis illius, quæ originem suam à peccato trahunt, & quotidie cresunt vsu, & malæ consuetudinis corruptela. His ita se habentibus, quis adeo demens erit, vt credat conuersionem, vitæque emendationem post aliquot annos, cum peccata erunt numero multo plura, & causæ difficultatis huius erunt multiplicatæ, fore faciliorem? Certissimum est tunc tanto ineptiorem te fore, & Dæmonium tanto plus iuris in te habiturum, Deumque tanto longius à te recessurum, quanto erunt plura tua peccata. Huc etiam accedit, quod post aliquot annos anima tua magis erit inordinata, omnesque illius potentie magis perturbatæ, velut antea dictum est.

Si itaque hæc sint difficultatis istius causæ, quis adeo corrupti inter nos iudicij, vt credat conuersionem futuro tempore fore faciliorem, difficultatum causis vndique crescentibus? Cum enim quotidie peccata peccatis cumulentur, dubium non est quin nodi, quibus anima stringitur, multiplicentur, & catenæ, quibus vincitur, fiant duriore. Intellectus in futuro erit ex vsu peccandi obscurior: voluntas erit infirmior ad bene operandum; appetitus ad omne malum erit procliuor, & liberum arbitrium (vt dictum est) erit debilius, quam vt ab eius violentia queat defendi. Quod cum ita sit, qui fieri potest, vt tu credas futuro tempore conuersionis negotium fore tibi facilius?

Simile.

Quod si dixeris, te vadum tranare non posse, cum aqua adhuc exigua est, vespere cum alueus plenus est, & flumen initar maris exundat, quomodo tranare poteris? Si tibi difficile videatur, nouellam adhuc vitiorum plantam eradicare; quid facies vbi profundissimas radices egerit, & terræ multo quam

ante firmius inhaeret? Ponamus casum: pugnam nunc tibi est cum centum peccatis, aliquando tibi pugnam erit cum mille: nunc cum vnius anni, aut duorum praua consuetudine, tunc forte cum decem annorum. Quis itaque tibi dixit, quod in futuro poteris onus tuum facilius portare, quod ne quidem nunc portare potes: cum nihilominus illud quotidie augeatur? Nonne animaduertis has esse cauationes debitorum malè soluentium? qui quia pecuniam sibi creditam numerare non volunt, de die in diem solutionem extrahunt? Quis nescit has esse fraudes antiqui illius serpentis, qui impostura sua protoplastos decept, quæ & eorum filios etiamnum circumscribere nullo non temporis momento contendit? Miror profecto, & quidem vehementer miror, quod crescente ab omni parte difficultate, arbitraris tunc fore facile, quod tibi nunc videtur impossibile. Quis induci poterit, vt credat (nisi amens forte sit) crescente culpa, veniam fore faciliorem: & autem infirmitate, medicamentum citius egroto profuturum? An ignores illud Ecclesiastici? *Langor prolixior grauat medicum: breuem languorem praedit medicus?* Hanc imposturam pulcherrimè quondam ostendit Angelus sancto cuidam Patri in Eremito, vti in eorum vitis legitur: Arripens enim Angelus Anachoretam, cum foras in agrum eduxit, hominemque illi ostendit ligna cadentem. Hic cum fascem prae grandem colligasset, eum humeris an imponere posset, periclitatus est: cumque vires oneri impares essent, iterum reuersus plura ligna succidit, fascemque pluribus lignis auxit. Cumque iam minus portare posset, (erat enim iam fascis multo maior, quam antea) iterum fascem amplificauit; idque saepius summa fecit cum pertinacia. Admiratus Anachoreta summam hominis amentiam, quid sibi hoc vellet interrogauit. Respondit Angelus; *Idem esse hominum insaniam, qui cum sarcinam peccatorum portare nequeant ob intolerabilem oneris grauitatem, quotidie noua veteribus addunt, sarcinamque singulis penè momentis augent, peccata peccatis, & onus oneri cumulant, putantes se plurima posse, qui pauca non potuerunt.* Sed quid inter alia multa dicam de peruersa consuetudine, & violenta eius tyrannide, quæ decinet homines in malis obfirmatos? Familiare est, vt qui clauum figit, primo quem malleo dat ictu firmiter figit, firmitus secundo, tercio firmissimè & quo saepius pulsatur, eo fortius impellit, eoque extrahitur clauus difficilior: sic singulis nostris operibus malis, quæ facimus, tanquam ingenti malleo vitium animæ nostræ alius infigitur, atque ibi tam immortum heret, vix vt quicquam inueniatur, quo possit extrahi vel expelli. Hinc est quod non raro videmus senectutem eorum, qui omnem ætatem suam in vitiis & flagitijs trauerunt, repuerascere, ætatis suæ transactæ dissolutionibus, etiam si ætas illa respuat, & natura ipsa ab illis abhorreat. Cumque natura ipsa iam lassæ & vitijs effœta est, consuetudo tamen, quæ in pedibus adhuc natat, circumit, quærens voluptates impossibiles: tantum potest malæ consuetudinis impatiens tyrannis. Hinc dicitur in libro Iob. *Offa eius implebuntur vitijs adolescentie eius: & cum eo in puluere dormient.* Aded, vt hæc vitia non habeant terminum aut finem aliū, præter eū, qui omnibus alijs rebus communis est, nimirum mortem, vltimam rerum lineam. Hinc est illud Aristotelis; Vt in aspidis ictu nullum est remedium, nisi vt partes contractæ amputentur, ita quædam vitia, sola morte sanari possunt. Morte ergo finiuntur hæc vitia, licet (si verum fateri velimus) ne quidem morte terminari dicemus: durat enim semper quapropter & Iob dicit, *Et cum eo dormient in puluere.* Ratio huius est, quia veteris consuetudinis diuturnitate (quæ nunc in naturā verba est) appetitus vitiōrū iam in ipsis ossibus & medullis animæ

Malæ consuetudinis rō. Simile.

Iob 20, 11.

Joan. 11.
Allegoria
1. a. Cori
quadrivium.

Serm. de ver-
bis Dom. in
Joan. 44.

In figura
temporis.

Simile.

Vide Aug.
de decem
chordis, &
lib. Canon.
de Poenit.
dist. 3. c. Plu-
res.

Bern. tract.
12. de Humi-
lit. volunt.
& arrogantia
(gradus).

Peccata qua
iam committi-
mus, aliquā
do frustra
delebimus.

anima radicali sunt: non aliter, atque tabes, quae in visceribus hominis haeret, curam omnem eludens, nec aliquam medicinam admittens. Idem Saluator noster ostendit in resurrectione Lazari quadrivium, quem tanto clamore & fremitu spiritus excitavit: cum tamen alios mortuos multo levioribus difficultatis signis excitasset: ut significaret Dominus, quam ingens miraculum sit, Deum quadrivium & foetentem resuscitare: hoc est, in consuetudine peccandi sepultum convertere. Hartum autem quatuor dierum prima, teste Augustino, est, titillationis delectatio in corde: secunda consensio: tertia factum: quarta consuetudo: & qui quartam hanc diem attingit, sicut Lazarus, non excitatur, nisi altissima voce & lachrymis Salvatoris. Omnia haec evidenter declarant maximam difficultatem, quam secum adfert poenitentia, seu conversionis dilatio: & quanto diutius differitur poenitentia, tanto fiat difficilior. Consequenter etiam ex his colligitur, quam manifestus error eorum sit, qui dicunt aliquando emendationem vitae suae fore faciliorem.

Ceterum ponamus (quod tamen non concedimus) quod omnia iuxta tua somnia tibi succederent, & quod vana tua spes te non eluderet, quid dices de tempore, quod interea miseris perdis, & sine villo fructu tibi elabitur? praesertim cum isto tempore thesaurum tibi incomparabilem lucrificare potuisses? Quae esset dementia (ut secundum mundi iudicium loquamur) eo tempore, quo amplissima, opulentissimaque civitas vi expugnata est, dum alij milites magno ardore & furore diripiunt illam, aurum, argentum, & pretiosissima quaque colligentes, quosdam sedere iuxta impedimenta, & cum laxis atque calosis aleas versare? Certum est eos quantum nullum facturos. Quanto itaque maior est infamia, te, dum boni omnes solliciti sunt, ut opera bona faciant, quibus coelum mereantur, & lucrificent, te, inquam, tunc otiosum sedere, cum pueris ludere, iocari, & infantilia ludicra munda huius tractare, qui posses interim idem lucrari quod illi? Quid praeterea mihi respondebis, non tantum ad bona, quae tu amittis, sed & ad mala quae interea committis? Nam secundum B. Augustini sententiam, ne quidem veniale peccatum, pro totius mundi auro committendum est. Quae itaque fronte tu audes hoc tempore tot peccata mortalia committere, quale vnum, ne quidem pro mille mundis integris facere deberes? Quomodo tu interea offendere, & ad iracundiam provocare aures eum, per cuius portas te intrare oportet? ante cuius pedes in terram prosterne, velis, nolis, impelleris; a cuius manibus fors aeternitatis tua dependet? cuius misericordiam videris cum lachrymis & suspirijs implorare? Quomodo non erubescis interea irritare hunc, cuius auxilium singulis momentis tibi necessarium est? & quem tanto minus tibi favorabilem inuenies, quanto amplius illum ad iram provocaveris? Optime D. Bernardus contra huiusmodi argumentatur, dicens: Tu qui tecum tam iniquam inis rationem, in mala, & impia tua vita persequerans, dic mihi: Credis Dominum Deum tibi peccata tua condonaturum, aut non credis? Si credas te locum venire apud Deum non inuenturum; quae potest esse maior stultitia, quam peccare sine speremissionis? Sin autem cogites eum & bonum, & facilem, & misericordem esse, qui, etsi tortes illum offenderis, paratus tamen est tibi peccata tua ignoscere; dic mihi quae so, quae maior potest esse perueritas, quam occasionem amplius offendendi illum capere, ubi causa est magis illum amandi? Quid ad hoc argumentum potest responderi?

Quid mihi dices etiam de lachrymis, quas postea debes vberim fundere pro peccatis, quae iam committis? Etenim si forte Deus te ex hac vita euocer,

Granatens. Opusc. spiritual.

aut visceret, crede mihi, singulae buccellae, quas tunc comedis, felle tibi tunc erunt amariores: & memento quia tunc lamentabere semper, & planges illud, quod semel tantum admisti. Veniet, veniet, ne dubites, aliquando dies ille, quando mille genera suppliciorum pertulisse potius velles, quam Deum semel offendisse. Tempus, quo David suis fruebatur voluptatibus, erat brevissimum; longissimum autem fuit illud, quo vixit in doloribus: id quod de seipso testatur dicens; *Laboravi in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Erat autem tanta lachrymarum istarum abundantia, ut Hieronymi versio, pro lauabo lectum, habeat, *riatate faciam lectum meum*: significans ingentes imbres, & torrentes aquarum, fluentium ex oculis, qui legem Dei violant.

Quid itaque tempus inutiliter consumis in seminando illud, ex quo praeter lachrymas fructum nullum colliges? Praeter hoc etiam considerare debes, non te lachrymas seminare, unde dolorem aliquando tantum meres, sed etiam vitam melioris difficultatem, ratione longae, & male consuetudinis. Nam quem admodum qui diuturna & periculosa laborat infirmitate, raro ita conualefcit, ut non reliqua morbi in eius corpore permaneant: ita magnitudo & diuturnitas peccati, raro sine quibusdam reliquijs permanentibus sanatur. Semper homo in ea parte, qua cum peccavit, est debilior: & tyrannis Diaboli sequitur in eadem violentius. Filij Israhel vitulum adorant, ex cuius combustis cineribus Moyses eis decoctum miscebat, & bibendum propinavit. Haec enim poena est, quae cum Deus peccata quaedam punire solet, ut iusto suo iudicio reliqui nonnulli maneant in ossibus nostris: atque ita poena sit, & tormentum id, quod paulo ante nostrum fuerat idolum.

Vis dicam, quam iniqua sit comparatio velle senectutem referuare poenitentiae, & florem iuventutis in iniquitatibus turpiter consumere? Quae quae esset infamia, si homo multas, easque graues haberet sarcinas, in certum aliquem locum comportandas, & essent illi iumenta plura ad hoc deputata; imposteret tamen omnia simul onera vni iumento, & eique debiliori, ceteris vacuis dimissis? Similis, imo maior est eorum dementia, qui sarcinam poenitentiae senectuti portandam imponunt: iuventuti, & aetati virili (quae sane robustiores sunt, & ad portandum aptiores ipsa senectute) parcentes, easque vacuas transigentes: cum ipsa senectus vix proprias sustineat molestias. Pulchre dictum est a Seneca magno illo Philosopho. Qui ut bonus sit, in senectutem differt, aperte ostendit, se nolle virtuti dare, nisi tempus ad alia omnia inidoneum. Et alio loco: Audies plerumque dicentes: a quinquagesimo in otium secedam: sexagesimus annus ab officijs me demittet. Et quem tandem longioris vitae praedem accipis? Quis ista, sicut disponis, ire patietur? Non pudet te ad reliquias vitae te tibi referuare & id solum tempus bonae mentis destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam seruum est tunc vitare incipere, cum desinendum est? Quae tam stulta mortalitatis obliuio, in quinquagesimum, & sexagesimum annum differre sanatoria consilia; & inde vitam inchoare, quod pauci perduxerunt?

Sed quid facies, si animaduertas magnitudinem satisfactionis, quam infinita illa Maestas a te postulat, priusquam offensione tanta poteris exonerari? Ea enim tam magna est, ut B. Ioannes Climacus dicat: hominem vix posse hodie pro huius diei peccatis Deo satisfacere, & vix ipsum diem se posse exonerare. Cur itaque tu totius vitae debita, quasi in vnum cumulum congregas, & satisfactionem usque in senectutem protrahis, quae summo cum labore vix propria debita

Psal. 6. 7.

Simile.

Reliquia peccatorum manent post peccatum.

Exod. 32.

Quam absurdum sit poenitentiam usque ad senectutem referuare.

Seneca in libro de brevitate vitae.

Magnitudo satisfactionis postulat.

Climacus.

Gregor. lib.
25 Moral.
c. 2. 4.
Dilatatio pe-
nitentia qua-
dam infide-
litas.
Gregor. in
Moral.

debita potest exoluere? Hæc est iniquitas tam ingens, vt B. Gregorius eam appellet infidelitatem maximam, vt ostendit his verbis, Satis alienus à fide est, qui ad agendam penitentiam tempora senectutis expectat: Metuendum est enim, ne dum sperat misericordiam, incidat in iudicium.

Sed demus omnia, quæ diximus, nullius esse momenti: nec quicquam horum euenturum. Dic mihi, nonne sola (modò verò aut lex, aut ratio, aut iustitia amplius in mundo sit) magnitudo & multitudo acceptorum beneficiorum, gloria quoque promissa sufficere debebat ad permouendum te, ne tempore seruitutis tuæ tam sis negligēs, tam otiosus tempore seruitutis, tam auarus erga illum, qui tam liberalis est in gratijs te cumulandis? O quam meritò dictum est ab Ecclesiastico: *Ne impediaris orare semper, & ne verearis usque ad mortem iustificari: quia merces Dei manet in æternum.* Age, dic sodes, si præmium tanto tempore sit duraturum, cur tu obsequium seu seruitium vis esse tam momentaneum? Si merces non finietur, quādiu Deus in cælo regnabit, hoc est, nullo tempore sit interitura: cur tu non vis, vt seruitus duret saltem quamdiu tu viuis in terra, cumque tempus illud tam breue sit, tu duas tertias vis auferre, & vnum flatum Deo relinquere?

Ratione præ-
destinationis.

vt præsupponas Deum te ab æterno ad hanc salutem prædestinasse. Dic mihi igitur, si Dominus ille tam fuerit sollicitus tui, vt ab æterno te amauerit, & postquam factus es Christianus, adoptauerit te in proprium filium, Regni que sui hæredem te fecerit, quare tu detrectas vicissim amare tam benignum Patrem? & tam pium Dominum diligere ad finem vsque vitæ tuæ differre cur non erubescis? Quomodo possibile est, vt persuadere tibi queas, tam breui cultu satisfacere te posse illi, cui determinatum est, beneficijs te prosequi sempiternis? Omnino enim æquum esset, vt cum præmia sint æterna, æternus quoque esset cultus, si fieri quoquo modo posset. Quod cum fieri nequeat, imò, cum cultus & seruitus tua non sit longior vnius hominis vitæ, quare tu etiam maiorem partem istius tam brevis spatij ab obsequio diuino vis auferre, minorem verò, sed & deterio rem illi relinquere? Ete-

Optimam
partem mis-
do, deteriore
Deo esse
vniuersam.

Seneca epist.
109. & lib. 1.
epist. 1.

nim, quemadmodum ex amphora, dicit Seneca, primum quod est sincerissimum effluit: grauiusimum quoque, turbidumque subsidit: sic in ætate nostra, quod est optimum, primum est. Id exhauriri in alijs potius patimur, vt Deo faciem reseruemus. Vido quæso qualis sit illa pars, quam Domino Deo reseruas.

Malac. 1, 14.

Maladictus, inquit Propheta, dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus. Quasi diceret, Domino tam magno, quam ego sum, magna debentur obsequia, & cultus magnus. magna enim iniuria est, Maiestati tam excellenti offerre, quæ sunt in rebus deteriora. Quare itaque tu seruas maiorem & potiore partem vitæ tuæ partem Daemoniorum ministerio, & immolas Deo partem, quam mundus ipse respuit? Audi quid Dominus dicat, *Non habebis in sacculo diuersa pondera: minus & maius: nec erit in domo tua modius maior & minor, pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: & tu audes contra hanc legem duas habere mensuras inæquales, vnam tam magnam pro Daemonio, tanquam pro amico: & alteram tam paruum pro Deo, tanquam pro inimico?*

Deut. 25.

Quid Deo
debeamus
ratione Re-
demptionis.

Præter hæc omnia te præcor, vt si hæc omnia tibi fordeant beneficia, illius saltem inestimabilis beneficii recorderis, quo Deus Pater Vni genitum suum filium tibi dedit: dedit namque in pretium animæ tuæ vitam illam, quæ omnibus & hominum, & Angelorum vitis erat pretiosior. Quapropter etsi omnium

hominum vitas haberes, insuper & alias infinitas: vt in te esset omne quod viuere, aut viuere posset: totum illud deberes illius vitæ datori. Quinimò nec hoc sufficeret, quæ igitur fronte, quæ impudentia, quæ ingratitude negas hanc solam vitam, quam tu habes, tam breuem, tam debilem, tam miseram reddere Deo mino illi, qui pro te dedit vitam tam nobilem & prælatam? Eset aliquo modo ferendum, si vel illam redderes: ceterum & de illa tam misera & synceriorum partem auferre, & feces tantum illi dare, extremam profecto est impudentia. Sit itaque huius capituli conclusio illud Salomonis in suo Concionatore: *Memento*

Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicis, non mihi placent. Antequam tenebrescant Sol, & lumen, & stella, & luna, & reuertantur nubes post pluiam: quando commouebuntur custodes domus, (hoc est, cum manus tremant) & nutabunt viri fortissimi, (id est, crura, quæ totius corporis molem sustinent) & cuncta erunt molentes (subaudi dentes, seu maxillares) in minuto numero, & tenebrescant euentes per foramina: id est, visus deficiet) & claudent ostia in platea (nam & tunc alia quoque aliorum sensuum instrumenta deficiunt) in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volueris galli, propter inopiam & difficultatem somni, qui illa ætate solet esse rarior & obsurdescere omne: sicut ea minis, id est, aures, quia præcluduntur, & obturantur omnes arteriæ, per quas sonus permeat, & auditus efficitur. Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via: vias namque accliuēs, difficiles, & saxosæ senes ambulare difficulter possunt. florebit amygdalus: canis enim vertex erit respersus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparitis: pro quo alij transulerunt, onerabitur dorsum, id est, incuruabitur, & dissipabitur concupiscentia: quotidie enim magis magisque deficit fortitudo cordis nostri: in quo sedes est nostri appetitus. quoniam ibi homo in domum æternitatis suæ, quæ est sepultura, & circumibunt amici & cognati in platea plangentes. Quando denique reuertetur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Huc vsque verba sunt Salomonis.

Recordare itaque, frater mi, Creatoris tui tempore iuuentutis tuæ, iuxta descriptionem hanc: & ne prima obliuiscaris, in quibus ipsa natura deficit, & vigor omnium sensuum: in quibus homini magis necessarium est, omni indulgentia atque industria supplere id quod deest naturali fortitudini & robori, quam molestias & labores penitentia amplecti. quando virtus portus videbitur necessitas, quam voluntas, cum vitia ex nobis ipsis cohonestabuntur. ipsa enim nos tunc prius deferunt, quam à nobis deferuntur: etsi non raro senectus talis est, qualis antea fuit iuuentus, iuxta illud Ecclesiastici: *Quæ iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?* Saluberrimum itaque consilium est, quod alibi dat idem Ecclesiasticus, dicens: *Non demoreris in errore mortuorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis viuens viuis & sanis confiteberis, & laudabis Deum: gloriaberis in miserationibus illius.* Magnum sanè fuit olim mysteriū, quod inter infirmos is, qui primus piscinam intrasset, cum aqua esset ab Angelo mota, Ioan. 5, 4. conualesceret, atque sanaretur: vt ex eo intelligas, quomodo salus omnis nostra consistit in eo, si inspirationibus, & diuinis moribus confestim, sine vlla pro rogatione obtemperemus. Veni itaque, mi frater, accelera. Hodie, vt ait Propheta: *si vocem eius audieris, Psal. 94, 8. noli indurare cor tuum.* vt respondeas illi cras, imò incipe statim manum admonere: quod quanto citius feceris, tanto tibi erit facilius.

Ecclesi. 12, 1.
Egregia ex-
positio loci
Ecclesiastici.

Ecclesi. 25, 5.

Ecclesi. 17, 26.

Ioan. 5, 4.

Psal. 94, 8.

CAPVT XXVI.



Erūt profecto quæ diximus etiam sufficere deberent, ad confundendos illos, qui penitentiam ad mortis usque horam differunt. Etenim si adeo periculosum sit, eam in aliquot annos prorogare: quid erit quæso eandem periculosissimo illi termino reservare? Verum quia error iste nimis est familiaris, & in orbe terrarum frequens: sed & cum plurimæ sint animæ, quæ errore illo misere deceptæ pereunt, omnino necessarium est, ut & de inani hominum hac opinione non nihil dicamus. Licet autem de hac materia dicere planè periculosum sit, (posset enim pusillanimitas & meticulosus conscientis diffidendi, seu desperandi occasionem præbere) maius tamen erit periculum, quod homines ignorant, in quod discrimen sese coniiciunt, cum penitentiam in illud tempus prorogant. Ita ut vtrumque periculum iustè lance trutinantes, manifestè videamus, hoc illo sine vlla comparatione maius esse. Ipsa enim experientia nos docet, plures animas perire nimia confidentia, quam nimio timore & pusillanimitate. Nos enim constituti sumus speculatores, ut ait Ezechiel, ut cum gladium venientem viderimus, populo annuntiemus: ne qui à nobis admoneri debeant, decipiantur: & sanguis eorum de manibus nostris requiratur. Quia verò in hac vita nec aliud lumen, nec veritatem aliam habeamus, præter sacram Scripturam, sanctorumque Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, qui de hac materia copiosè satis ante nos tractarunt, monumenta; videamus quid illi hac de re dicant. Spero etenim neminem tam fore temerarium, qui suum iudicium illorum sententiæ velit antepone. Seruemus autem hunc ordinem, ut prius dicamus quid Patres de hac materia dicant; deinde quid Scriptura nos doceat.

Auctoritates quorundam Patrum de penitentia finali.

An tequam disputationem hanc ingrediamur, præsupponamus id, quod S. Augustinus, & omnes Doctores Ecclesiæ dicunt: necessariò scilicet sciendum esse, quod uti penitentia vera, Dei propriè opus est, ita etiam ipse potest eam dare, cui, & quando vult. Secundum hanc itaque sententiam penitentia vera erit, & sufficiens ad animam salvandam, quocumque fiat tempore; etiam in hora mortis. Quam raro autem hoc eveniat, nolo, ut quis mihi aut tibi credat, sed Sanctis, per quorum os sanctus Spiritus locutus est. Proinde æquum est, ut eorum sententiæ acquiescamus. Audi itaque quid B. Augustinus hac de re dicat, in libro de vera & falsa penitentia: Qui prius à peccatis relinquitur, quam ipse relinquat ea, non liberè, sed quali ex necessitate condemnatur. Deus autem arbitrij libertatem requirit. Quapropter illi, qui nolunt converteri ad Dominum, quamdiu possunt peccare; postea verò ad confessionem veniunt, cum amplius non possunt: non tam facile quod cupiunt obtinebunt. Paulò ergo inferius declarans Augustinus, quomodo ea conversio fiat, sic ait: Converteritur, id est, totus & omnino vertitur, qui iam non penas tantum timet, sed ad bonum Deum redire festinat. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de peccatorum suorum remissione. Sed quoniam vix aut raro est tam iusta conversio, timendum est de tam serò penitente. Quem enim morbus viget, pena terret, ad veram vix venit satisfactionem; maxime cum filij, quos illicitè dilexerit, sint præsentès, vxor & mun-

dus ad se vocent. Multos enim solet serotina penitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper etiam potest in mortè iuvare, quos placeat. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt, & languentem trahunt, periculosissimum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere penitentia remedium. Sed magnum est cui Deus tunc inspirat. Si quis igitur est, qui veram tunc querat penitentiam, expectet Dei clementiam, maiorem sentiens Dei bonitatem sua nequitia. Sed fietiam sic conversus evadat, vitam viuat, & non moriatur, non tamen promittimus, quod evadat omnem penam. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis, etsi æternus non sit, miro tamen modo est gravis. Excellit enim omnem penam, quam quis unquam passus est in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta est pena; licet mirabilia Martyres passim tormenta, & multi nequiter iniqui tanta sustinuerint supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat talem penam tolerare. Hucusque Beatus Augustinus, ex cuius verbis liquet, in quanta sese præcipitant pericula, qui ex industria nolunt ante horam mortis penitere: sed penitentiam in illud tempus differunt. Sed & Ambrosius in libris de penitentia fuisse de hac materia disserit; licet nonnulli hanc eius sententiam Augustino tribuant, ubi inter alia multa dicit: Qui postus in ultima necessitate aggritudinis suæ acceperit penitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit; id est, exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus quod petit: sed non præsumo dicere quia bene hinc exit. Non præsumo, non polliceor: non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene vivens securus hinc exit. Agens penitentiam dum sanus est, & reconciliatus, si postea bene vixerit, securus est. Idem paulò post repetens; Agens verò penitentiam ad ultimum, & reconciliatus si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus; penitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Quod dico attendite: Ego id planius expono, ne aliquis me malè intelligat: Nunquid dico damnabitur? non dico, sed nec liberabitur, dico. An aliud mihi dicis sancte Episcopo? Quid tibi dicam, nescio. Dixi, non præsumo, non promitto, nescio de Dei voluntate. Vis te frater à dubio liberari, vis quod incertum est evadere? Ago penitentiam dum sanus es. Si enim agas veram penitentiam dum sanus es, & inuenerit te novissimus dies, securus es. Ergo curre ut reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus? Vis dicam tibi? Quia egisti penitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Ecce dixi quare securus es. Sin autem tunc agere vis ipsam penitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Consentit Beatus Isidorus his verbis. Qui vult, ait, de peccatorum remissione securus esse in hora mortis, faciat penitentiam cum sanus est, & tunc iniquitatem suam plangat. Sed qui malè vixit, & penitentiam in hora mortis agit; certum est, quod in summo versatur periculo. quemadmodum enim eius damnatio est incerta, sic salus illius est dubia. Verba hæc profecto plurimum sunt metuenda: magis autem ea, quæ scribit Eusebius sancti Hieronymi discipulus, & gloriosissimus eius Magister locutus est iam morti vicinus, in terra iacens extensus, & sacco horrido indutus: quia verò non ausus fuerim, ea cum tanto rigore, quo scripta sunt, referre, ne debilioribus & pusillanimitas despondendi animum occasionem præberem; legat qui velit; inueniet ea in tomò quarto operum D. Hieronymi, in quadam Epistola Eusebij ad Damasum Episcopum de morte Beati Hieronymi, cuius initium, Patri reuerendissi-

Quam horribilis pena purgatorij.

Ambrosio exhort. ad penitentiam. quæ statim sequitur lib. 2. de penitentia.

S. Augustinus lib. Hom. 50. Hom. 41.

Isidori sententia, lib. 2. de summo bono.

La editione Plantiniana tom. 9. paulò antea finem.

De finali penitentia diffinitio periculosum est.

Ezech. 33.

Aug. de vera & falsa penitentia. cap. 17.

Ibidem. Quid sit conversio.

mo, &c. ubi inter alia dicit: Sed forte quis iterum dicet? Vir qui toto tempore, quo vixit, male fecit, in mortis articulo accepta penitentia à Deo veniam obtinebit. Heu quam vana suspicio, & falsa meditatio. Vix de centum millibus hominum, quorum mala fuit semper vita, meretur à Deo habere indulgentiam vitis. Virtus in peccatis genitus, & enutritus, qui nec Deum vidit, nec agnouit, nec de eo audire voluit, nec se peccasse cognoscit, nec quid penitentia sit, nisi forte dormiendo nouit: totus adhuc secularibus innotatus negotijs, quem angustia premit filiorum, quos deserit: quem infirmitas conterit, quem dolor diuitiarum & bonorum temporalium concutit, cum eis non posse frui amplius se cernit, quam acceptam Deo accipit penitentiam? quam non accipiet, si adhuc se posse sanari crederet. Certè verò concludam, qui dum sanus est, & iuuenis, Deum offendere non formidat, in morte non merebitur diuinam obtinere indulgentiam. Quæ dilectissimi filij, est penitentia, quam solum quis accipit, quia se viuere amplius non posse cernit? qui si ex infirmitate conualesceret, peior quam prius fieret? Scio non modicos pecuniosorum, accepta in mortis articulo penitentia conualuisse corpore, & vitam peiorasse. Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus est finis, cui mala semper fuit vita: qui peccare non timuit, sed in mundi vanitatibus semper vixit. Hactenus Eusebius; ex cuius verbis liquet, quam suspecta fuerit sanctissimo illi Doctori Hieronymo penitentia, quæ sit in hora mortis, ab eo, qui toto vitæ tempore in peccatis perseuerauit. Neque hæc reticenda est opinio S. Gregorij de hac materia; qui ad illa verba Iob, *Quæ est enim spes hypocrita, si auarè rapiat, & non liberet Deus animam eius? Nunquid Deus exaudiet clamorem eius, cum venerit super eum angustia?* dicit: Eius clamorem Deus tempore angustia non audit, qui ipse tranquillitatis tempore clamantem in præceptis eius Dominum non audiuit. Scriptum quippe est, *Qui auertit aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Sanctus itaque vir, intuens, quia omnes qui nunc operari recta contemnunt, extremo se tempore ad petitionis verba conuertunt, dicit, *Nunquid clamorem eius audiet Deus?* Quibus profecto verbis, vocibus nostri redemptionis obsequitur, qui ait: *Nouissime veniunt & fœuæ virgines, dicentes, Domine, Domine aperi nobis.* Et respondetur eis: *Amen dico vobis, nescio vos.* quia tanto maior tunc exercetur seueritas, quanto nunc maior misericordia prorogatur: & districte tunc iudicium non correctis exierit, qui pietatem nunc delinquentibus patienter impendit. Hæc B. Gregorius. In eadem cum ceteris opinione est Hugo de S. Victore, libro 2. de Sacramentis, ubi dicit: Difficile est, ut tunc (scilicet in articulo mortis) vera sit penitentia, quando tam fera venit. Quando enim cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vix homo aliud cogitare potest. Valde suspecta debet esse penitentia, quæ coacta videtur esse. Facile est ut homo se nolle putet, quod posse non datur. Possibilitas optime voluntatem probat. Si non facis dum potes, manifestè ostendis quod non vis. Subscribit his omnibus Magister Sententiarum dicens: Cum ergo opus sit non hominis, sed Dei fructifera penitentia: inspirare eam potest, quandoque vult sua misericordia; & remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex iustitia. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculum est, & interitui vicinum, ad mortem protrahere penitentia remedium. Sed magnum est cui Deus tunc inspirat (si quis est) veram penitentiam. Considera quæso quam metuenda hæc verba sint. Quis itaque audax ille, qui non metuit maximum thesaurum summo exponere periculo?

Greg. lib. 18.
moral. cap. 5.
Iob 27, 9.

Prov. 28, 9.

Iob 27, 9.

Matth. 25, 11.

Hugo lib. 2.
part. 14. ca. 5.

Pet. Lomb. 1.
distin. 26.
Sunt verba
Augusti.

An quicquam pretiosius tibi sit in hoc mundo salute? Quis itaque tam inconsideratus, ut audeat dicere, non malè facere, qui tantum thesaurum tali committit periculo?

Hæc sunt opiniones sanctorum Doctorum, ex quibus non obscurè colligitur, quanta sit dementia, sine solitudine tam periculoso mare navigare, de quo expertissimi nauta tam dubie, tantoque cum timore loquuntur. Bene mori ars est, quæ tota vita debet addisci. In hora enim mortis tot, tantaque sunt, quæ nos mori faciunt, ut vix supersit tempus ad bene mori discendum.

Auctoritates Doctorum Scholasticorum de hac materia.

Restat nunc ad maiorem huius rei confirmationem, ut videamus quid hæc Doctores sentiant Scholastici. Inter alios Scotus pulcherrimè tractat hanc materiam, nobis per omnia consentiens, in quartum librum Sententiarum scribens, ubi ponit hanc conclusionem; Penitentia, quæ fit in extremis, raro vera est, ob magnam difficultatem verè penitendi in hoc articulo. Probat autem hanc conclusionem quatuor rationibus vel argumentis.

Prima est, propter magnas perturbationes, quæ oriuntur ex magnitudine dolorum, infirmitatis, & præsentia mortis: quare cor minus ad Deum potest eleuari, & in exercitijs verè penitentia occupari. Ad intelligendum huius argumenti sciendum est, omnes cordis nostri perturbationes magnam habere vim retrahendi sensus, & liberum hominis arbitrium: & iuxta regulam Philosophicam, in hoc effectum multo potentiores sunt affectus seu passionis, quæ dolorem & tristitiam adferunt, quàm quæ lætitiā generant. Hinc est quod perturbationes, seu affectus morientis, sunt omnium fortissimi atque potentissimi. Nam (ut Aristoteles ait) omnium terribilium terribilissimum est mors: ubi tanti dolores in corpore, tot in anima sunt angustia, tanta sollicitudo & afflictio filiorum, coniugis, & mundi, qui omnes deferendi sunt. In tot autem, tamque procellosis passionum ventis, ubi erunt sensus, ubi cogitationes, nisi quod trahunt & abripiunt illa dolores & perturbationes istæ? Experientia nos docet quotidiana, si quis dentium, aut alio quouis acuto dolore crucietur, etiam si homo sit maxime pius, vix eum tunc animi ad Deum posse eleuare, vel in eo illum habere immortem: imò sensus omnes illic esse, ubi dolor est. Quod si hoc iusto accidat, quid faciet is, qui nunquam de Deo cogitare consuevit, & qui quanto apertior est, & prouidat ad amandum corpus quam animam, tanto facilius incurrit periculum maioris amici quàm minoris? Inter quatuor impedimenta contemplationis quæ B. Bernardus enumerat, vnum est mala dispositio corporis. Tunc enim anima ita occupata est doloribus suæ carnis, ut vix aliud hominem cogitare permittat, præter illud, quod tunc dolet & cruciat. Quod si verum sit, quæ maior esse potest amentia, quàm expectare pessimam dispositionem corporis, ut in ea maxima tractes animæ negotia? Noui quendam, qui in articulo mortis constitutus, cum admoneretur, ut sese ad exitum prepararet, tanta cordis angustia propter mortis præsentiam pressus, obrutusque est, ut nihil aliud cogitauerit, quàm quomodo periculum hoc declinare posset, non aliter quàm si in manibus fatum fuisset. Omnis eius cogitatio erat, quomodo periculum hoc posset euadere, quibuscumque etiam remedijs, fieri potuisset. Cumque sacerdos videret illum tam parum sollicitum esse de his, quæ in illa hora necessaria sunt, admonuit ut relictis ijs cogitationibus, inciperet Deum inuocare. Infirmus hanc admonitionem agere ferens, verba quadam longè à proposito aliena

Scot. lib. 4.
sentent.

Conclusio
Scoti.

Primaria
Scoti.

Arist. lib. 4.
Ethic. c. 6.

Corporis
mala dispositio
impedimē-
tum contem-
plationis.
S. Bern. lib.
23. item in
Cant.

aliena respondit, simul atque animam exhalauit. Fuerat nihilominus hic virtutum amator: vt ex eo queas videre, quomodo mortis presentia perturbet eos, qui vitam amant; si etiam tantum turbauerit hunc, qui alias illam contempserat. Noui & alium, qui cum in grauissimam incidisset infirmitatem, cum vidisset mortem imminere, vehementer petijt paululum cum Deo colloqui, & Iudicem deiota precatiuncula prauenerit, antequam ex hac vita discederet: sed dolores, & continua infirmitatis accidentia requiem nullam illi concedebant. Si itaque preparatio sola ad poenitentiam illo tempore tam difficilis sit, quis adeo demens, vt totius vite suae remedium velit in illud momentum prorogare?

Secunda Scoti ratio est, quod vera poenitentia debet esse voluntaria: hoc est, ex voluntatis promptitudine profecta: & non ex necessitate coacta. Hoc est, quod B. Augustinus dicit; Nullus expectet quando peccare non potest. Arbitrij enim libertatem quaerit Deus, vt deleri possint commissa: non necessitatem, sed charitatem non tantum timorem; quia non in solo timore viuunt homines. Quem ergo sero poenitet, oportet non solum timere Iudicem, sed diligere: quia sine charitate nemo saluus esse potest. Quare si quem nunquam in vita sua verè poenituerit, sed proroget poenitentiam vsque in horam mortis, videtur is non ex voluntate, sed ex necessitate poenitentiam agere: & si ex necessitate, iam non est purè voluntaria. Talis erat poenitentia Semei, quam fecit ob delictum, in Dauid commissum, cum faciem filij sui Absolonis fugeret. qui Semei cum vidisset victoriam ad Dauidem inclinare, & considerans malum quod sibi imminerebat, descendit cum viris Iuda in occursum Regis Dauid, & cum mille viris de Benjamin, prostratusque coram Rege veniam delicti rogauit.

Aug. lib. de vera & falsa poen. cap. 17. & 18.

2. Reg. 16. & 19.

2. Reg. 19, 21. Quod cum Abisai vidisset, dixit; Nunquid pro his verbis non occideretur Semei, quia maledixit Christo Domini? Sanctus verò Rex Dauid, non ignorans quam exigui esset meriti hac poenitentia, tunc quidem factum dissimulauit prudenter, tamen inultum omnino noluit: sed cum iam morti proximus esset, non vindictæ cupiditate, sed iustitiæ zelo præcipit filio, ne pateretur illum innoxium; qui & postea interfecit illum. Huius generis videtur esse multorum maiorum Christianorum poenitentia, qui cum tota vita Deum offendendo in peccatis perseuerarunt, quum appropinquauit hora reddendæ rationis, ubi mortem adesse, sepulchrum apertum, præsentemque iudicem viderint, intellexerintque non inueniri fortitudinem, non potentiam contra infinitam illam potentiam; quodque in illo momento determinabitur, quod semper est duraturum, conuertuntur ad iudicem orationibus & protestationibus: quæ si veræ sint, viles profecto sunt. Sed communis euentus docet, quales illi fuisse, & sunt: experientia enim didicimus, multos eorum elapsos hoc periculo, confestim oblitos omnium quæ promiserunt, & tanquam sues ad volutabrum reuersos esse, imò reuocasse ea, quæ tunc pro exoneratione animæ ordinauerant, tanquam homines, qui non fecere, id quod fecerunt, amore Dei, sed solo timore angustia, in qua tunc temporis fuere; qua cessante, cessauit etiam effectus, qui ex illa sequebatur. Ex quo manifestissimè videtur, hanc poenitentiam similem esse illi, quam habent nauæ: qui cum in magno periculo sunt, promittunt vitam mutare, sequi virtutem, & nescio quæ non vota faciunt: sed cum tempestas sedata est, & optata redit malacia, ipsique extra periculum sunt, mox ad priora redeunt; ridet, nugantur, blasphemant, & peiora faciunt, quam antea faciebant, nullam vororum habentes rationem: imò tanquam somnium illa reputantes.

3. Reg. 2.

Simile.

Tertia ratio est, quia consuetudo peccandi, in qua vixit hactenus peccator, ferè semper hominem deserere non vult; sed illum vsque ad mortem comitari: & non aliter, atque umbra corpus, sequi. Consuetudo enim est tanquam altera natura, quæ non nisi maxima difficultate vincitur. atque ita videmus per experientiam, multos in illa hora tam parum de animæ suæ salute sollicitos esse, tam auaros esse, tam rebus carnalibus immerfos, tam vitæ huius amantes, si quo pretio possent illam redimere, sic captos amore huius mundi, omniumque rerum quæ in illo dilexerunt, quam si non esset in hoc termino vel periculo. Nunquid aliquando vidisti senes tam audios & auaros, vt nunquam vel horam vnā intermiserint, quo minus res huius mundi tractarent; qui tamen in benefaciendo manus habebant occlusas & immisericores: quorum appetitus erat viuacissimus in rebus ijs, quas in proprium contemptum debebant in hoc mundo relinquere, & scit Deus quibus? Hæc est poena nequaquam minima, qua Deus subinde punit peccatum; permittens vt illud comitetur suum auctorem vsque ad sepulturam; iuxta illud B. Gregorij, Deus castigat peccatorem hoc genere supplicij, vt permittat eum obliuisci, & immemorem esse sui ipsius in hora mortis; eo quod non sit recordatus Dei sui dum viueret. Atque ita vna negligentia vel obliuio puniatur alia. punitur obliuio culpa cum obliuione, quæ poena simul est & culpa: id quod quotidiana docet experientia: toties enim nunc audimus multos etiam in brachijs meretricum mori voluisse, quas tam tenaci amore diligebant, vt quas in vita adibus expellere noluerunt, etiam in morte deferere noluerint, eo quod iusto Dei iudicio & sui, & animarum suarum obliuiscerentur.

Tertia ratio Scoti.

Greg. lib. 16. Mor. cap. 31.

Quarta Scoti ratio fundatur in qualitate valoris operum, quæ communiter in illa hora fiunt: quilibet enim, qui vel scintillulam diuini luminis habet, aperit videt, quantum distent opera quæ tunc, & quæ ab homine sancto fiunt: agnoscit, inquam, Deo multo minus illa, quam hæc placere. Non est admodum gratum (vt B. Lucia dicebat) Deo munus, quod qui offert, ideo offert, quod illius vsum suprema interdicit dies. Quid quæso est iniuriæ illatæ cuiusdam ignoscere in illa hora, qua non ignoscere magna est infamia? Putas eximium quid esse, si concubinam reliqueris, quando velis nolis relinquere debes, nec amplius eam in adibus seruare potes? His rationibus subtilis ille Doctor concludit, hominem summa cum difficultate in illa hora verè poenitere. Imò dicit Christianum, qui deliberato animo poenitentiam vsque in horam mortis prorogat, mortaliter peccare; ob summam iniuriæ, quam infert animæ suæ: & ob periculum maximum, cui salutem suam exponit. Relinquo nunc lectori iudicium, vt videat si quid sit illo magis metuumdum.

Quarta ratio Scoti.

B. Lucia dictum.

Auctoritates aliquot sacre Scripturæ præmissarum Doctorum sententiam confirmantes.

Quoniam autem totius disputationis huius robur in verbo Dei consistat, (contra hoc enim nec est appellatio, nec responsio) audi quid illud doceat in hoc negotio. Salomon primo Proverbiorum capite, postquam retulisset verba, quibus æterna Sapientia vocat hominem ad poenitentiam, subiungit itidem ea, quæ vocationi suæ non obediens dicta est: Quia, inquit, vocaui, & renuisti, extendi manum meam, & non fuit qui aspicere. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subiambo, cum vobis id quod timebatis aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc innocabunt vos, & non exaudiam: manes consurgens, & non inueniens.

Prou. 1, 24.

Greg. hom.
120. in Euan.
gel.

nient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquiescerint consilio meo. Hucusque verba sunt Salomonis, aut vt melius dicam ipsius Dei, quas D. Gregor. in libris Moralium de hac poenitentia, de qua nos iam agimus, exponit. Quid potest responderi ad illud? An non sufficientiam huius, cum ipsius Dei sint, vt timorem tibi incutiant, moneantque, vt temporite in horam illam prapares?

Matt. 24, 47.

Sed audi & aliud testimonium non minus, quam illud, dilucidum. Differens Dominus in Euangelio de suo ad iudicium aduentu, consulit suis discipulis, eosque magna cum instantia monet, vt se praparent in diem illum, multis in eum finem vsus parabolis & similitudinibus, vt ex ips intelligerent; quanti ea res esset momenti. Eius verba haec sunt: *Beatus ille seruus, quem cum venerit dominus inuenierit vigilantem. Si autem malus seruus dixerit in corde suo, Moram facit dominus meus venire; & cepit percussere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis.* Patet hic Dominum optime sciuisse consilia malorum, & inuentiones excusationesque eorum, quas inueniunt ad excusandos se in rebus pessimis: ideoque viam ipsis occludit, admonetque, quomodo eis haec facinora succedent, & quem finem spes eorum sit habitura. Quid differunt illa ab his, quas nos hic tractamus? Quid nos dicimus hic, si non illud, quod ipse Dominus? Tu es ille malus seruus, quia si milia meditaris in corde tuo; tu prorogas poenitentiam, & exitimas temporis tibi adhuc plurimum superesse, manducas, bibis, & in delictis tuis perseueras. An non timeas has minas, quas tibi intentat ille, qui non minus ad faciendum, quam ad dicendum, efficax est: qui omnia, quae dicit, dictu citius & facilius exequitur? Ipse te alloquitur, tecum agit, te appellat, tecum ipsi negotium est, tibi dicit: Vigila miser, & dum tempus est te prapara, ne miserrime pereas in illa hora iusti Dei iudicii.

Matth. 25, 1.

Aug. Epist.
ad Dilect.
& lib. ferm.
22. & 23. de
serm.

Ceterum videor nimium temporis & laboris rei tam manifeste impendere. Sed quid faciam, cum videam maiorem mundi partem hoc palliolo peccatum & errorem suum prapexere? Vt autem magnitudinem huius periculi clarius adhuc agnoscas, audi aliud testimonium ipsius Domini: *Tunc simile erit regnum calorum decem virginibus, &c.* Tunc, quando tunc? Quando veniet iudex, quando appropinquabit hora iudicii tam vniuersalis omnium, quam particularis singulorum. In quo enim quemque inueniet nouissimus suus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies; quia qualis in isto die moritur, talis in die hoc iudicabitur, vt ait Augustinus. Illo itaque tempore, dixit Saluator, nobis continget, quod contigit decem Virginibus, quarum quinque erant fatuae, & quinque prudentes, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso: Prudentes dum tempus habebant, acceperunt oleum in vasis suis: Fatuae vero, vt ferè sit, nulla erat olei sollicitudo. *Medita nocte*, quando altius dormiunt homines, vel cum maxime curae expertes sunt, & negligentes, minus cogitant de iudicii die, *clamor factus est; Ecce sponus venit, exite obviam illi. Tunc surrexerunt omnes Virgines ille, & ornaverunt lampades suas: Et quae paratae erant, intraverunt cum sponso ad nuptias, & clausa est ianua:* Quae verò paratae eo tempore non erant, ceperunt sibi protuidere, & se prapare, & tandem venientes clamabant: *Domine, Domine aperi nobis.* At ille respondens ait, *Amen dico vobis, nescio vos.* Concludens autem Dominus parabolam hanc, ait: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Quasi diceret: Vidistis quam felix euentus fuit istarum

Matth. 25, 11.

virginum sapientum, quaeque paratae erant; & quam infelix fatuarum, quibus oleum deerat. Propterea cum nescias diem, vel horam aduentus sponsi, & negotium salutis vestrae a sola pendeat hac prapARATIONE, vigilare & parati estote omni tempore, ne dies illa vos inueniat imparatos, vt Virgines illas quinque, inuenit, & clausa vobis sit ianua, nuptisque excludamini, quemadmodum illae exclusae sunt. Iste sensus literalis est huius parabolae, vt Caietanus hunc locum exponit, dicens: *Caueamus nobis, vel ob id solum, quod poenitentia, quae ad mortem vsque prorogatur, quando auditur vox quae dicit, Ecce sponus venit: non est secuta, imò quod ipsa in hac parabola describitur, quasi non vera, ferè namque talis est.* Idem tandem summam vel pericopam similitudinis illius subiiciens ait: Conclusio doctrinae huius est, vt intelligamus quomodo quinque Virgines illae fuerunt repudiatæ, seu reprobatae, quia quo tempore sponus venit, non erant paratae. Aliæ verò quinque admissae fuerunt, quia prouisum illis erat. Necessè itaque est, vt semper sumus parati, eo quod nesciamus qua hora sponus venturus est.

Caietanus.

Dic mihi quæso, quid posset ad nostrum propositum illuminandum dici manifestius? Vehementer itaque admiror, quod post testimonium tam clarum homines audeant adhuc tam debili & incerta spem. Etenim ante hoc testimonium prolatum non adeo mirarer, si contrarium ipsis persuasum esset, aut spontè falli cuperent. Sed postquam ipse celestis Doctor & Magister hanc quaestionem determinauit, cum Iudex ipse tot exemplis feriem & modum sui iudicii nobis manifestauit, quis adeo impudens aut praprafractus, vt credat aliter euenturum, aut rem gerendam esse, quam prapredixit ille, qui sententiam ipse pronuntiabit?

Responsiones ad aliquot obiectiones.

Sed quia posset mihi ad ea quae dicta sunt obijcere: Quomodo? nunquid Latio solo verbo saluus factus est iam iam moriturus? Respondet Beatus Augustinus in libro superius citato: Licet, ait, Latio veniam meruerit in fine de omni suo crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi & perseuerandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus est, qui tunc primum in cruce Christum confessus est. Poenitentia enim si in extremo hiatu vitae aduenit, sanat & liberat in ablutione baptismi, ita vt nec purgatorium sentiant, qui in fine baptizantur. Respondetur praparterea, opus hoc admirandum non minus, quam alia miracula, operaque alia, prapredictum & reseruatum fuisse aduentui Saluatoris & Filij Dei in hunc mundum, eiusque gloriae testimonio: Ideoque necesse erat, vt ea ipsa hora, qua Dominus patiebatur, caelestia & terrena turbarentur, lux cum nocte misceretur, elementa quatererentur, Tertia ipsa concussa à fundamentis, quali quæ super crucem Deum vix sustinebat, tanquam ad scelus proprium contremisceret; Dies refugo lumine, quomodo potest, sumeret lamentum, & fusco tristium tenebrarum habitu, more iugentis indueretur; sepulchra mortuorum aperirentur; defuncti resurgerent: Omnia enim hac mirabilia, tanquam testimonia gloriae Personae illius reseruabantur, de quorum numero & salus fuit huius latronis. In quo opere non minus erat admirabilis illius confessio, quam salutis collatio: posteaquam in cruce confiteatur regnum, & discipulis Christi contradicentibus, in latrone fides nouella inualuerit. Sub illo tempore credidit reus, quod negauit electus. Feruebat impietas persequentium, exultabat impietas blasphemantium, contritio liuoris & vulnera Christum solum hominem demonstrabant, & Apostolis post diuina miracula desperantibus, solus hic non acquiescit scandalò crucis & mortis, solus hic testis est

Aug. de ven.
& falsa poe.
ait cap. 17.

Multa mira-
bilia aduen-
tui Christi
reseruata.

Eusebius
Emist de
bono la-
trone.

Maiesta-

Maieſtatis, qui ſociis probatur doloris. Cum itaque admirabilia hæc ad dignitatem huius Domini, & ad tempus illud myſticum pertineant, ridiculum erit veſſe exiſtimare, hæc ſemper & vbique locum habere; quæ propriè temporis illius erant.

Simile.

Videntur etiam in quibuſvis huius mundi Rebut publicè bene conſtitutis eſſe quadam, quæ ſunt ordinariè & ſemper eodem modo, quadam verò quæ extraordinariè uſurpantur. Ordinaria communia ſunt omnibus, extraordinaria propria ſunt quibuſdam. Idem uſu venit & in Republ. Dei, quæ eſt Eccleſia. Atque ita regulare eſt & ordinarium illud Apoſtoli;

1. Cor. II, 15.

Quorum finis erit ſecundum operis aſpſum; ſignificans quòd communiter loquendo, mors mala malam vitam ſequitur, & bona bonam. Ordinarium etiam eſt eos, qui opera bona faciunt, vitam æternam ingredi;

Pſalm. 61, 12.

locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt,

& tibi Domine miſericordia: quia tu reddis unicuique ſecundum opera ſua. Hæc ſumma eſt totius Philoſophiæ Chriſtianiæ. Secundum hanc itaque rationem dicimus Ordinarium eſſe tam iuſtum, quam peccatore

Iudicia Dei.

recipere mercedem in fine vitæ ſuæ ſecundum opera quæ fecerunt. Præter vniuerſalem tamen hanc legem poteſt Deus ex particulari gratia ad ſuam gloriam quibuſdam miſericordiam exhibere, ut morte iuſtorum moriantur, qui vitam peccatorum duxerunt: quemadmodum & fieri poteſt, ut qui tanquam iuſtus vixit in hoc ſæculo, ſecreto quodam Dei iudicio, tanquam peccator moriatur, quemadmodum illis euenit, qui longo itinere proſperitæ nauigârunt, & in ipſo portus introitu naufragium faciunt. Hinc eſt quòd Salomon dicit: *Quis ſcit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Nam etſi ſerè ſemper fiat, ut animæ illorum, qui tanquam bruta viuunt animalia, ad Inferos deſcendant; eorum verò, qui tanquam homines viuunt, in cælum ferantur: poteſt tamen ſecundum occultum & particulare Dei iudicium nonnunquam hic ordo inuerti. Secura tamen & generalis doctrina eſt, bene viuentem mortem habiturum beatam. Nemo itaque ob cauſas prædictas niti debet exemplis eorum, qui ex particulari gratia ſunt conſeruari: ea enim generalem regulam non conſtituunt, nec ad omnes ſeſe extendunt, ſed ad paucos tantum, eoſque incognitos: Nec tu quidem ſcire potes an eorum numero continere.

Alia excuſatio peccatorum.

Alij aliam excuſationem ſeu deſenſionem adferunt, dicentes; Sacramenta legis gratia de attrito facere contritum, & quòd vel in hora mortis ſaltem illam attritionem ſeu diſpoſitionem habebunt; quæ vnà cum virtute Sacramenti ſufficiens erit ad ſalutem conſiderandam. Ad quam obiectionem reſpondemus, non quoduis genus doloris ſufficiens eſſe ad ſpeciem illam attritionis habendam, quæ vnà cum Sacramento conſert gratiam illud ſuſcipienti. Nemo enim nescit eſſe varias attritionis & doloris ſpecies; & quòd non per quamcunque attritionem homo fit de attrito contritus, ſed tantum per illam particularem, quam gratia collator nouit, & quam vno illo excepto ignorant omnes. Sciebant & intelligebant optimè hæc Theologiam ſancti Doctores, ideoque tanto cum metu & tam dubiè de hoc genere penitentia locuti ſunt, ut ſuperius à nobis annotatum eſt; ante alios maxime D. Auguſtinus, in ſua auctoritate ſuperius allegata, ubi agit de eo qui penitentiam accepit & reconciliatur per Eccleſiæ Sacramen-

ta, de quo dicit: Fateor vobis, non illi negamus quòd petit, ſed non præſumimus, quòd bene hinc exit; ſi ſecurus hinc exit, ego nescio: penitentiam dare poſſumus, ſecuritatem non.

Quòd ſi mihi obijcias penitentiam Niniuitarum, quæ ex timore, ne quadraginta dierum ſpatio perirent omnes, proceſſit; conſidera tu non tantum aſperimam penitentiam, quam illi ſubierunt, ſed & vitæ mutationem. Muta tu quoque vitam tuam eodem modo, & non deſtituet te eadem miſericordia. Ceterum video te vix ab infirmitate conuulſiſſe, & vix de lecto ſurrexiſſe, cum ſtatim ad primum vitæ genus recurris, & reuocas omne id, quòd quamdiu infirmaberis, propoſueras. Quare tibi conſiderandum relinquo, quid de tua penitentia cenſeam.

Iona 3.
Obieſtio ad
penitentiam
Niniuitarum.

Concluſio ſuperioris diſputationis.

Quicquid dictum eſt hætenus, non eo fine dictum eſt, ut cuiquam ſalutis aut ſpei ſanua claudatur: etenim nec eam quiſpiam ſanctorum clauſit, nec aliquis eam claudere debet: ſed ut mali retrahantur, & auertantur ab illo reſugij propugnaculo, in quo ipſi latitant, & fortiores efficiuntur, ut in iniquitatibus ſuis perfeuerent. Ceterum, dic mihi quaſo frater, ſi omnes voces Doctorum, & ſanctorum hominum, ſi rationes omnes, ſi ipſa Scriptura ſacra tam periculosa tibi nuntient de hac penitentia, quomodo audeſ tu ſperare tuæ ſaluti ab ingenti hoc periculo libertatem? In quo conſidis, qui te in hoc periculo adiuuabit? Fortè in tuis preparamentis, in elemoſynis, in orationibus tuis ſpem collocas? Intellexiſti paulò ante quomodo quinque Virgines fatuæ ſumma cum ſollicitudine ſe præparare voluerunt, poſtquam vocem audiuiſſent, ſponſum venire, nuntiantem; didiciſti etiam quanta cum inſtantia lanuam pulſarunt clamantes; nihil tamen horum ipſis proſuit: non enim ex vero amore, vel vera penitentia proficiſcebantur. Conſidis fortè in lachrymis, quas eo tempore profundes? Verè lachrymæ valent quocunque tempore, & beatus qui eas ex toto corde fundit: ſed recordare quaſo quot lachrymæ fudit hic, ut appetitui ſuo ſatiſfaciat, & ille ut quòd vult, hoc illi liceat, animique impetum ſequatur: vendit patrimonium ſeu ius primogeniti inſtar Eſau, qui iuxta B. Apoſtolum, non inuenit penitentia locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. non enim amore Dei flebat, ſed ob proprium commodum ſuum. An potiùs ſpem ponis in bonis tuis propoſitis, quæ tunc tibi ob oculos ſtatues? Et hæc valent cum vera ſunt & ſincera, ſed memento propoſitorum Regis Antiochi qui cum in hoc periculo eſſet conſtitutus, talia & tam magnifica pollicebatur, ut homo merito debebat obtupeſcere, qui legit. *Orabat nihilominus, ait Scriptura, hic ſceleftus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Ratio erat, omnia enim quæ proponebat, non ex ſpiritu amoris, ſed ex puro timore ſeruili proponebat, qui etiam ſi bonus ſit, non ſufficit tamen ad cæleſte regnum impetrandum. Timore namque Infernum ex mero amore naturali, quo homo ſeipſum complectitur, poteſt procedere. Quòd autem homo ſeipſum amat, non eſt ratio cur illi regnum cælorum donetur. Ac de ut quemadmodum nemo intrabat palatium Regis Aſſueri ſacco indutus, ita nemini licitum eſt ingredi palatium Dei cum veſte ſeruili: oportet enim omnes ingreſſuri veſte nuptiali, id eſt, vero amore ſeu charitate ſint exornati.

Matth. 25.

Genet. 25.

Heb. 12, 17.

2. Macch. 9, 13.

Heſt. 4.

Quamobrem te, miſerater, oro & obſecro, ut hæc cum attentione legas, & conſideres, te paulò poſt ſine dubio in hac hora, & in hoc diſcrimine conſtitutum iri. Vides enim quanta cum velocitate cælum volui-

volui.

Dom Soto
in 4. d. 19.
q. 6. artic. 2.

Deut. 32, 35.

voluitur, & tempora labuntur: citò filum vitæ tuæ abrumpetur. *Intra est dies perditionis*, ait Propheta, & *adesse festinant tempora*. Finito itaque tam exigui temporis spatio, adimplebitur prophetia. Tunc videbis, & agnosces me verum tibi prophetam fuisse in his, quæ monui & adhortatus sum. Tunc te doloribus vallatum cernes, falsidici oneratum, mortis præsentia miserabiliter afflictum, expectare sortem, quæ mox extrahetur, aut semper felicem, aut semper infelicem. O sortem dubiam, o viam arduam & periculosam; o sententiam, postquam aut mors æterna, aut æterna vita expectatur, o quis poterit hac in hora sortem illam commutare? o quis illam sententiam poterit audire? Mi frater nunc habes commoditatem, caue illam negligas. Nunc habes tempus iudicem demerendi, & beneuolum tibi faciendi. Audi itaque & sequere consilium Prophetæ, qui dicit; *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est*. Prope enim nunc Dominus est, vt audiat nos, licet illum non videamus. In die verò & hora iudicii videbitur quidem, sed non audiet nos, nisi nunc audiri mereamur.

Ecl. 55, 6.

CONTRA ILLOS, QUI SPE

diuinæ misericordiæ in peccatis suis

perseuerant.

CAPVT XXVII.



Eperiuntur homines alij, qui perseuerantes in vita sua impia, seipsos spe diuinæ misericordiæ lactant, & meritis Christi Passionis consolantur: & his fuit quoque vti aliorum error est ostendendus. Tu dicis misericordiam Dei esse immensam, voluit enim tanquam maledictus pro peccatoribus crucifigi. Fateor quidem eam esse maximam: perfert enim quòd tu maledicam blasphemiam effutis; qualis est, quòd tu vis, vt eius bonitas tuæ faciat iniquitatem; quòd crucem eius, quam ille apprehendit vt medium quo regnum peccati destrueretur, tu capias, tanquam medium quo peccatum muniatur & defendatur: & vbi tu debueras mille vitas illi, fitot haberes, offerre, vt qui suam pro te immolauit, ibi tu arripis occasionem etiam negandi illi vnam quam habes, imò quam ab illo accepisti. Plus dolet hoc Saluatori, quam mors ipsa, quam pro te passus est: qui enim in morte sua non lamentatur, de peccatis tuis grauissimè queritur apud Prophetam, dicens: *Fabricauerunt super dorsum meum peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam*. Dic mihi quæso, quis te ita argumentari docuit, vt ex eo quòd Deus bonus est, concludas licere tibi peccare, & iniquitatem sequi? Videtur mihi Spiritus sanctus alio modo concludere; vt nimirum ex eo quòd Deus bonus est, colligat eum dignum esse, qui colatur, cui obediatur, qui ametur super omnia. Et quia Deus bonus est, fas esse vt ego bonus sim, & sperem in illum: qui estis grauissimus peccator sim, paratus tamen est me in gratiam recipere, si toto corde ad illum conuertar. Quia Deus bonus est, & tam bonus, duplex sanè scelus est tantam bonitatem offendere. Itaque quanto magis amplificas Dei bonitatem, in qua tu confidis, tanto magis exaggeras peccatum, quod in illam committis. Illud autem peccatum tam graue, æquum est vt puniatur: est enim ea diuinæ iustitiæ (quæ vti tu ex istimas non est contraria, sed soror & vindex diuinæ bonitatis) natura & officium, ne tam enormem iniuriam relinquat impunitam.

Discrimine verò & falsi Prophete inueniuntur.

Hoc genus excusationis non est recens, aut nouum, sed vetus planè & mundo frequentissimum. Illud inter veros & falsos Prophetas olim intererat, quia veri minas Dei populo annuntiabant, & iustitiam eius

exaggerabant; falsi verò ex proprio capite falsam pacem promittebant, & misericordiam. Cùm autem supplicia Dei veritatem vnius, & falsitatem alterius partis probarent, dicebant veri Prophetæ; *Ubi sunt Prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, & dicebant, non veniet Rex Babylonis super vos & super terram hanc?* Tu dicis magnam esse Dei misericordiam? Tu qui dicis illud, crede mihi, Deus oculos tibi non aperuit, vt vides magnitudinem eius iustitiæ. Nam si oculos ad eam intuemdam haberes apertos, diceres cum Propheta: *Quis nouit potestatem iræ tue, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Sed vt ab hoc errore tam periculoso libereris, quæso paululum hac de re disseramus, & rationibus acquiescamus.

Psal. 19, 11.

Nectur, nec ego videmus iustitiam diuinam, qualis est in seipsa: vt hoc modo queamus illius mensuram cognoscere. Nec Deum quidem ipsum in hoc mundo notimus, nisi per opera sua. Ingrediamur itaque mundum spirituales sacra Scripturæ, deinde exeamus in hunc corporalem, in quo nos viuimus, & ex vtroque ratiocinemur, qualis sit diuina iustitia, vt mediantibus ijs hanc cognoscamus. Erit profectò hæc consideratio vtilissima: Præter enim finem nobis iam propositum, alium quoque ex ea fructum percipiemus: excitabit enim de nouo in cordibus nostris timorem Domini, qui vt Doctores loquuntur, est thesaurus, custos, & onus animarum nostrarum. Quemadmodum enim nauis sine saburra secuta Simile. non est; (iactatur enim quouis vento facillimè nunc in hanc, nunc in illam partem magno cum periculo) ita periclitatur anima quæ saburram, seu onus diuini timoris non habet. Sustinet timor ille animam, ne ventus fatiorum humanorum, & gratiarum diuinarum eam eleuet, & euertat. Quantumuis munita sit, nisi onus hoc habeat, versatur in periculo. Nec tantum incipientes, sed & adulti & senes debent necessarii in domo Domini viuere cum timore. Nec solus peccatores & rei, qui merito timere debent: sed ne iusti quidem, quibus tanta non est causa timendi, à timore debent esse immunes. Peccatoribus timendum est, quia peccauerunt; iustis quoque, nec peccent: illis timorem incutere debent mala præterita, his verò pericula futura. Quòd si scire cupias, quomodo sanctus ille timor in te generetur, dico cùm per gratiam est infusus, conseruatur, & crescit consideratione operum diuinæ iustitiæ, de quibus nunc agere incipiamus. Cogita sepius atque volue illa tecum animo, & paulatim timoris huius augmentum in te senties.

Omnibus iustis, timendum est.

Vnde timor generatur.

De operibus diuinæ Iustitiæ, quarum mentio fit in sacra Scriptura.

Primum opus diuinæ iustitiæ, cuius meminit sacra Scriptura, est Angelorum damnatio. Principium viarum Domini, fuit terribilis & sanguinolenta illa bestia Princeps Demoniorum, vt in libro Iob scribitur. Cùm enim omnes viæ Domini sint misericordia & iustitia, vsque ad primum illud peccatum nondum erat iustitia Dei reuelata, quæ in sinu Domini tanquam gladius in vagina erat recondita.

Principium viarum Domini. Psal. 24.

Illud primum peccatum in causa fuit, cur gladius iste sit euaginat. Considera nunc tu quam grauis illa fuerit prima plaga: leua oculos, & mirabile quid videbis; Videbis inquam pretiosissimam gemmam donus Dei, videbis primariam cæli pulchritudinem, videbis imaginem in qua tam perspicue lucebat diuina pulchritudo, hanc dico videbis de celo instar sagittæ decidere, idque propter vnam superbiam cogitationem. Princeps omnium Angelorum factus est Princeps Demonum, ex pulcherrimo tactus est teterimus, ex gloriosissimo afflictiissimus, ex gratiosissimo

Cassus Demonum.

limo

fimo omnium quos Deus habet, aut habiturus est unquam, infensissimus inimicus. Quis putas stupor, quæ admiratio fuit hæc celestibus illis Spiritibus, qui sciunt unde & quò cecidit tam nobilis creatura? quo cum timore dixerunt omnes illud Esaia: *Quomodo cecidisti de calo Lucifer, qui mane oriebaris?*

Descende postea paulò inferiùs ad Paradisum terrestrem, & videbis ibi casum non minùs metuendum, nisi huic malo tandem remedium fuisset adhibiturum. Vt enim Angeli caderent, erat necesse ut omnes actualiter peccarent. Sed quid peccauit actualiter creatura quæ nascitur, cur nasci debeat irascibilis? Non est necesse ut habeat illa peccatum actuale, sufficit ut tantum sit de linea seu stirpe hominis, qui peccauit, & peccando corrupti communem totius generis humani radicem, quæ erat in illo: hoc dico sufficit quare in peccatis nascatur. Gloria atque Maiestas Dei tam ingens est, ut cum una sola creatura illam offenderet, totum genus tam grauitè plecti mereretur. Etenim si summo illi amico Regis Assueri Aman, ut se vindicaret à Mardochæo, à quo iniuriam se accepisse existimabat, non satis fuerit Mardochæum solum plecti, sed pro magnitudine honoris sui iudicauerit totam gentem Iudeorum excindendam, ut negatam (ut ipse iudicabat) tam exiguum reuerentiam, quid miraris si gloria atque Maiestas Dei, quæ est infinita, simile supplicium requirat? Ecce itaque primus homo Paradiso expellitur ob vnius pomi morsum, propter quem & vsque in hodiernum diem mundus vniuersus plectitur. Et post tot annorum milia filius qui nascitur, secum maculam patris ex vtero materno profert, & non cum ipse per aetatem peccare potest, sed in ipsa natiuitate filius iræ procedit, atque illud, ut dixi, post tot annorum milia. Tempore tam diuturno non potuit hæc iniuria oblivione sepeliri, inter tot hominum myriades diuisa, & tot flagellis castigata. Imò omnia tormenta, quæ ab initio mundi vsque huc homines passi sunt, omnes mortes quas subire, omnes animæ quæ ardent & ardebunt semper in Inferno, scintilla sunt quæ originaliter ex illo primo peccato exiliunt: argumenta sunt & testimonia diuinæ iustitiæ. Et hæc omnia sunt etiam post redemptionem generis humani factam per sanguinem Saluatoris nostri Iesu Christi: Quod remedium nisi adhibuit fuisset, non esset aliqua inter homines & Demones differentia: tam enim exiguum fuisset salutis remedium vni, quam alteri, quantum ex semetipsis. Quid tibi videtur de hoc supplicio? Est sanè rationale diuinæ iustitiæ argumentum.

Sed cum iugum illud tam graue à filiis Adæ non est ablatum, creuerunt ex eo noua pluraque suppliciorum genera, propter alia peccata, quæ ex illo primo deriuata sunt. Vniuersus terrarum orbis aquis diluuij submersus est: Super quinque illas impurisimas ciuitates Dominus sulphur & ignem de celo pluit: Terra Dathan & Abironem viuos absorbit, propter contentionem quandam, quæ erat inter illos & Moysen: Ignis de sanctuario egressus duos filios Aaronis, Nadab & Abiu deuorauit, eo quòd ceremonias debitas in sacrificio non obseruassent: nec eis quicquam profuit dignitas sacerdotij, nec sanctitas Patris, nec familiaritas, quam Patruus ipsorum Moyses cum Domino habebat: Ananias & Sapphira in nouo testamento, quia B. Petro mentiti erant, (quod sanè exigui momenti videtur esse) ceciderunt & subitanea morte expirarunt.

Sed quid dicemus de occultis Dei iudicijs? Salomon, qui sapientissimus fuit omnium hominum, & quem Deus tam tenerè diligebat, ut ex eo dictus fuerit Dilectus Domini, secreto Dei iudicio ad extremas venit abominationes, & peccatum grauissimum,

Granatens. Opusc. spiritual.

quod fuit idololatria. Quid illo magis metuendum? Sed si intelligeres eius generis iudicia plurima, quæ quotidie in Ecclesia fiunt, non minùs fortassis hæc, quam illud timeres. Videres siquidem multas stellas è calo in terram cadere, videres multos, qui panem Angelorum in mensa Domini comedebant, in tantas calamitates prolabi, ut ventrem siliquis porcorum implere cupiant, videres multos, quorum castitas erat purior & formosior porphyrite, quæ tamen postea conuersa carbone fit tetrrior. Quorum lapsuum causa fuerunt peccata ipsorum, qui ceciderunt: ordinatio enim & iudicium diuinum non ponit necessitatem operationibus hominum, neque tollit liberum illorum arbitrium.

Sed quod maius signum diuinæ iustitiæ posses considerare, quam quòd Deus pro iniuria sibi illata noluit satisfieri nisi morte vniuenti Filij sui priusquam mundum in gratiam reciperet? Qualia quæso fuere verba illa, quæ Dominus locutus est mulieribus, quæ illum sequebantur plangentes; *Filie Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent; Beate steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus; Cadite super nos, & collibus. Operite nos, quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet: quia si Dominus dicere voluisset, si arbor hæc vitæ & innocentia, in qua nec vermis unquam, nec caries peccatorum inuenta sunt, sed diuinæ iustitiæ flammis ardeat pro peccatis aliorum, quo putas modo ardebit arbor sterilis & sicca, quam non charitas, sed propria malignitas ad ignem condemnat? Et si in hoc opere misericordiæ vides tantum rigorem iustitiæ, quid fiet in alijs, in quibus tanta non spectatur misericordia? Sed si tam rudis sis & stupidus, ut vim huius argumenti non capias, saltem intueri poenas Gehennæ, & vide quanta sit pena illa, quia diuinæ iustitiæ vnum punit peccatum: quomodo inquam peccatum, quod momento fit, poena plectat æterna? Ecce quomodo diuinæ misericordiæ, quam tu tantopere extollis, sese iungat terribilis hæc iustitia. Quid excogitari potest magis horrendum, quam videre quomodo supremus ille Dominator Dominus de throno gloriæ suæ despiciet animam, quæ tot annorum myriadibus intolerabilibus Gehennæ supplicijs cruciabitur, nec quòd vllis flectetur precibus amplius, ut misereatur illius, aut ei compatiatur, imò gaudebit quòd illa patitur, & placebit illi, ut poena sit sine fine, & sine termino, & sine spe remedij futura. O altitudo iustitiæ diuinæ, o res admiratione dignissima, o secretum, o abyssus infima profunditatis. Quis hominum erit adeo demens, quis adeo ab omni ratione & iudicio alienus, qui si consideret hæc, non contremiscet, non stabit attonitus, & quasi ad tanta supplicia stupefactus.*

De operibus diuinæ iustitiæ quæ in hoc mundo conspiciuntur.

Sed relictis aliquantisper sacris Bibliorum libris, Sexeamus in hunc mundum visibilem: nam & in illo maxima diuinæ iustitiæ reperiemus argumenta. Verè tibi affirmo, quòd qui mentem vel minimo diuinæ lucis & cognitionis radio habent illustratam, viuunt in hoc mundo cum maximo timore, & metuunt vehementer opera diuinorum iudiciorum: quia quærentes exitum in omnibus ijs, non inueniunt illum, nisi in simplici & humili confessione fidei. Quis non expauescit videns vniuersam terræ superficiem infidelitate coopertam? videns quam copiosa sit mæsis Demoniorum, ad inferni lacus miseris hominum animabus implendos? videns maiorem mundi partem (etiam post generis humani redem-

Infidelitas hominum magna.

H

redem-

redemptionem) in prioribus immerfam tenebris? Quæ quæso particula est Christianorum patria, si cum regnis & imperijs Infidelium conferatur? non est nisi exiguus mundi angulus, si excipias nouas Indiæ regiones, quæ quotidie reperiuntur, & ad fidem accedunt. Quod reliquum est omne Dæmones sua premunt tyrannide, & sub Regis tenebrarum impotentia luget dominatu, ubi non splendet Sol iustitiæ, ubi lux veritatis non oritur, ubi nec aqua pluit, nec ros descendit gratiæ diuinæ, quemadmodum nec in montibus Gelboe, ubi Dæmones tantas agunt animarum prædas, quas collectas in æternos ignes conijciunt. Etenim extra controuersiam est, quod sicut extra Arcam Noë tempore diluuij nullus conseruatus est, nec extra domum Raab in ciuitate Herichuntina; ita nemo saluus fiet, qui extra domum Dei, quæ est Ecclesia, deprehenditur.

Ceterum partem eam, quæ Christianorum nomine celebris est, intueri, & vide quo loco res Christianorum hoc exulceratissimo nostro seculo sint constitutæ, & fateberis in hoc corpore myltico à planta pedis ad verticem capitis vix aliquod membrum sanum reperi. Cape quamcunque vis ex ciuitatibus celebrioribus, in quibus saltem aliqua doctrinæ extent adhuc vestigia: discurre postea per minora oppida, pagos, vicos & castella, in quibus vix reperitur memoria, & inuenies populos, de quibus verè affirmari potest illud Ieremias: *Circuite vias Hierusalem, & aspice, & considera, & querite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & querentem fidem, id est, verè iustum, & propitium ero ei.* Perambula porrò non dico tabernas & loca publica, (ea enim ferè mendacijs, nugis & imposturis sunt dedicata) sed domos vicinorum, attende & ausculta, vti Hieremias, vt cognosces neminem esse, qui quod bonum est loquitur, nec quicquam præter murmura, mendacia, execrationes, iuramenta & blasphemias audies: hic resonant lites & contentiones, illic minæ & calumnia. *N ullus est qui agat penitentiam super peccato suo dicens, Quid feci? Redemique ipsa experire corda & linguas hominum nullis alijs rebus vacare, quàm terrenis & proprijs commodis, nec audies amplius Deum in suis operibus appellari, sed in iuramentis & execrationibus eius nomen blasphemari: quam sui nominis memoriam Deus conqueritur apud eundem Prophetam dicens: Recordantur mei, sed non ut oportet, iurantes mendaciter in nomine meo.* Ita vt per notas exteriores vix sciri queat, an populus hic Christianus sit, an verò gentilis: nisi forte per modum quo campanas cognoscimus, quæ quidem videntur à longe, sed ex sonitu cognoscuntur: sic eos ex iuramentis & blasphemijs cognoscas, quæ è vicino audiuntur: cætera sciri aut iudicari non possunt. Sed quæso quomodo possunt tales annumerari his, de quibus dicit Esaias: *Qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Quod si vita Christianorum talis esse debeat, vt qui illos eminus viderint, iudicent filios esse Dei; quo loco habendi sunt illi, qui potius videntur esse derisores, impostores, & contemptores Christi, quam veri Christiani?

Quare cum peccata & mala mundi huius tot & tanta sint, qui fit vt non manifestè satis videas & agnoscas effectus diuinæ iustitiæ? Nemo enim potest inficiari quomodo maximum Dei beneficium est, hominem à peccatis præseruare, sic summum esse supplicium & insignem iram, cum Deus permittit, vt homo in peccatum impingat. Ita legimus in lib. Regum 2. quod furor Domini irascebatur contra Israël, ideoque commouit seu permisit Dauid in peccatum superbiæ labi, cum iussit Israël numerari. In Ecclesiastico quoque cum multa commemorata essent

peccata, subiicitur: *A misericordibus hac omnia auferuntur, & in delictis non volutabuntur.* Quemadmodum enim ex vna parte præmiū virtutis, est ipsius virtutis incrementum, sic non raro pœna peccati est, quod Deus peccatum peccato punit, seu quod Deus alia peccata fieri permittit. Ita videmus maximum supplicium, quod pro maximo mundi flagitio (morte scilicet Saluatoris) irrogatum est, non aliud fuisse, quam quod Propheta denuntiat illius mali operatoribus dicens: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam, id est, in custodiam mandatorum tuorum.* Et quid sequitur? Idem mox declarat, & seipsum Propheta exponit: *Deleantur, ait, de libro viuientium, & cum iustis non scribantur.*

Si itaque tam ingens supplicium sit, & tam magnum ira diuinæ iudicium, quod peccata peccatis puniunt, qui fit vt non videas tanta diuinæ iustitiæ argumenta inter tot peccatorum genera, quibus mundus hoc seculo exaltatur? Oculos, si placet, circumuolue more eorum, qui in latissimo pelago sunt, nihilque vident præter mare vndique, & vndique cælum, vt ait Poëta, & vix quicquam cernes aliud præter peccata: videns autem tot peccata iustitiam diuinam non videbis? in mari medio aquam non conspicias? Omnino, & si totus mundus sit peccatorum pelagus, quid aliud erit quàm pelagus diuinæ iustitiæ? Non est necesse, vt in Infernum discendam, & videam quomodo illic sauiat diuinæ iustitiæ: sufficit mihi, vt eam in hoc mundo contempler. Quod si autem volueris cæcus esse ad omnia, quæ extra te sunt, intueri saltem temetipsum: Nam si peccatis obnoxius sis, hastæ diuinæ iustitiæ subiectus es; & quam diu securus sub illa viuis, tam diu, & quidem quò longius eò grauius, sub illa periclitaris. Sic Beatus Augustinus aliquam diu in hoc miserrimo statu vixit, vt de seipso testatur, dicens: Submersus eram in pelago meorum peccatorum, & ira tua præualuerat contra me, & ego nesciebam. Factus eram sturdus strepitu catenarum meæ mortalitatis, iræque tuæ, & culpæ meæ ignorantia pœna erat meæ superbiæ. Quare si Deus te hoc supplicij genere puniat, permittens vt in hoc peccatorum pelago tam profundè iaceas immerfus, & in medijs iniquitatibus tuis adeò cecutias, quid tu prædices rem adeò tibi contrariam? Narret misericordiam Dei, qui misericordia dignus est: & qui iustitia Domini plectitur, iustitiam loquatur. Misericordia Dei tam patienter te in peccatis viuere permittit, & non permittit, vt tandem in infernum ruas? O si faperes, & scires quàm brevis via sit, quæ ducit à culpa ad pœnam, & à gratia ad gloriam? Homo in gratia constitutus, quid magnum est, si ad gloriam ascendat; & in peccatum lapsus, quid mirum si vltius in infernum prolabatur? Gratiæ principium est & meritum gloriæ, peccatum verò initium inferni, & infernus merces illius.

Præterea quid magis horrendum, quàm cum pœnæ inferni tam sint intolerabiles, vt supra diximus, nihilominus permittat Deus, vt numerus damnatorum tam ingens sit, electorum verò tam exiguis? Quàm paruus horum numerus est (ne fortè meum hoc figmentum esse arbitreris) indicat nobis is ipse, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Quis non expatietur ad verba illa, quæ omnibus quidem nota sunt, sed aut malè intelliguntur, aut raro in mentes hominum reuocantur? Cum enim Christum quidam interrogarent; *Domine si pauci sunt qui saluantur?* Ipse dixit ad illos; *Intrate per angustiam portam, quia lata porta, & spatioſa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quoniam angusta porta est, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Quis in his ver-

Sapient. 5.

2. Reg. 1.

Genes. 7.

Iosue 6.

Esai. 1.

Ierem. 5. i.

Cap. 3.

Ibid. v. 6.

Esai. 61. 9.

2. Reg. 24. 1.

Pal. 63. 21.

R. Aug. lib. 1.

Confess. ca.

Pal. 146. 4.

Luc. 13. 23.

Matth. 7. 14.

his verbis intelligeret hoc, quod Saluator intellexit, si simpliciter & non potius cum exclamatione dixisset; O quam angusta porta & arcta via est! Totus mundus aquis diluuii submersus perit, octo tantum homines salui facti sunt: quod, vt Beatus Petrus in sua testatur Canonica, figura fuit, qua significatur quam pauci sunt illi qui saluantur, si conferantur cum ijs qui damnantur. Sexcenta hominum millia Dominus ex Aegypto in desertum eduxit, vt in terram promissam induceret, mulieribus & paruulis exceptis, qui non numerabantur, & in hoc itinere mille modis à Deo adiuti sunt, nihilominus terram hanc, quam Dominus illis ex gratia promiserat, sua culpa perdidit: quoniam ex tot centenis hominum millibus duo tantum terram ingressi sunt. Quod omnes fere Doctores sic interpretantur, vt per illud infinetur multitudo damnandorum, & saluandorum paucitas, id est, *multos esse vocatos, sed paucos electos*.

Hanc ob causam non raro in Scriptura sacra iusti vocantur gemma seu lapides pretiosi, vt significetur tantam esse eorum in mundo raritatem, quanta est illorum, & qua quantitate ceteri lapides & saxa gemmas superant, eadem malos bonorum numerum superare: quod Salomon tacite insinuat, cum dicit, *Stultorum numerum esse infinitum*. Dic ergo mihi, si numerus bonorum tam sit exiguus, id quod & figura & veritas testantur, vbi vides iusto Dei iudicio tot priuati beatitudine, ad quam erant creati? quam obrem non times tu commune illud periculum & vniuersale diluuium? Si numerus esset par, magna adhuc metuendi ratio subesset. Quid dico par? imò tanta sunt inferni sempiterna supplicia, vt si vnus tantum ex toto humano genere illuc esset relegandus, adhuc omnes horrere & formidare deberemus.

Cum Saluator vltimam cenam cum discipulis suis manducaret, atque diceret; *Vnus ex vobis tradet me*; omnes valde contristati sunt, & ceperunt expatiescere, etiam si conscientia illis innocentiam testaretur. Quando enim malum imminens grauius est, etiam si pauci sint, quibus illud minatur, timent tamen omnes & singuli, ne forte sibi superueniat. Si maximus in campo esset hominum exercitus, & cunctis diuinitus esset reuelatum, quod paulò post fulmen cælitus decideret, & vnum illorum interficeret, nec quis futurus ille esset, constaret, non est dubium quin vnusquisque sibi metueret. Quid autem faceret, si maior eorum pars deberet periclitari? Quanto maior esset iste timor? Dic mihi homo, qui præstas in carnali prudentia, & in negotio salutis tam imperitus es, an tibi Deus vnquam reuelauit tot fore, quos fulmen aut gladius diuinæ iustitiæ percutiet? Si nescias hoc, certè multo minus credo te scire quot, & qui plagam illam effugient, & à qua parte te stare contingeret, & adhuc non times? An tibi fortè infernus fulminis ictu tolerabilior videatur? an Deus te securum fecit? an literas securitatis habeas? an infallibilis tuæ salutis diploma tibi concessum sit? an priuilegium immunitatis? Huc vsque nihil est quod tibi simile quid promittat, insuper & opera tua te condemnant, secundum præsentem etiam iusticiam (nisi folium veritas) reprobatus es, & nondum metuis? An dicis te diuinam misericordiam confortare? Illa sanè opera iustitiæ non dissoluit, nec illis est contraria, imò si illa tot damnari patiatur, nonne quoque patietur, vt tu vnus ex illis sis, si vnà cum illis peccaueris? Nonne vides infelix proprium tui amorem te excacare, & misere te fallere, dum te præsumere faciat alia, quam quæ in mundo vniuerso conspiciuntur? Quod quæso priuilegium tibi datum est præ ceteris filiis Adæ, quo minus tibi aliquando eundem erit, quod ablegantur illi, quorum tu opera imitaris?

Granatens. Opusc. spiritual.

Quod si Deus ex operibus suis sit cognoscendus, scio quid dicam. Et si enim multæ sint comparationes, quibus misericordia Dei, eiusque iustitia inter sese possunt conferri, in quibus opera misericordiæ prævalent, tandem tamen depræhendimus, quod in posteritate Adæ, cuius ex semine tu quoque natus es, multo plura inueniuntur vasa iræ, quam misericordiæ, cum tam multi sint qui damnantur, & tam pauci qui saluantur. Cuius rei causa est, non quia gratia & adiutorium Dei illos destituit, *vnde enim Deus, vt Apostolus ait, omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*) sed quia mali ipsi sibi desunt, & gratia Dei in illis vacua est.

Hæc omnia prolixius à me commemorata sunt, vt intelligas quod si non obstante misericordia Dei, quam tu præstendis, Deus permittat tot esse infideles, & in Ecclesia tot malos Christianos, & tot ex infidelibus, totque ex malis Christianis perire sinat, vtique permittit & te cum illis perire, si vitam eorum imiteris. An forte cum tu nasceris celi exultauerint? aut tunc mirabuntur Dei iudicia & lex Euangelij, vt tibi peculiaris sit mundus, & alius alteri? Si itaque non obstante misericordia Infernus adeò dilaretur & tot animarum millia quotidie ab eo absorbeantur, an tua sola eò non perueniet, si in peccatis perseveraueris? Sed & ne dixeris Deum olim seuerum & rigidum fuisse, nunc autem mitem & placibilem: considera quod etiam cum hac mansuetudine & clementia patitur omne id quod audisti, ne tu exemptus eris aut immunis ab his, sed & tuum te manet supplicium, etiam si Christianus voceris, modo peccator inueniaris. An ideo Deus gloriam suam amittet, si te condemnauerit? Habes tu amabo singulare quid in te, cuius causa te Deus præ ceteris ferre debeat, cum omnibus moribus tuis bonis & perueris? aut habes aliquam immunitatem, quam non habent alij, ob quam te cum alijs perdere non debeat, si non minus malus sis quam illi sunt? Considera quæso filios Dauidis, illis ob singularia patris merita multa erant promissa priuilegia, sed nec propterea Deus voluit eos impune ferre sua scelera: quare & multi eorum infelicem sortiti sunt exitum. Vbi ergo vana tua fiducia? quid frustra speras illis pereuntibus te, si scelerum ipsorum particeps sis, non peritum? Erras frater, erras, si illud esse in Deo sperare existimaueris. Non est hæc spes, sed præsumptio. Spes enim est confidere, quod Deus poenitenti tibi, & à malo te conuertenti, quantumvis etiam malus sis & sceleratus, omnia peccata tua condonabit, teque in gratiam recipiet: Præsumptio verò magna est credere te in peccatis etiam tuis perseverantem salutem & beatum futurum. Ne existimes illud exile peccatum esse; numeratur enim inter illa, quæ in Spiritum sanctum committuntur: nam qui hoc modo præsumit, maculam ignominie & iniuriæ non leuem infert diuinæ bonitati, quæ specialiter Spiritui sancto tribuitur. Huiusmodi autem peccata, teste Salvatore, nec in hoc seculo, nec in futuro remittuntur, insinuans illa summa cum difficultate remitti, quantum enim in se occludunt portam gratiæ, & offendunt medicum, qui vitam dare posset, & vulneri medelam adhibere.

Conclusio eorum omnium, quæ hoc capite dicta sunt.

Concludamus tandem materiam hanc insigni illa Ecclesiastici sententia: *De propitiato peccatorum noli esse sine metu, neque adicias peccatum super peccatum. Et ne dicas. Misericordia Domini magna est multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo cito proxima, & in peccatores respicit iras illius*. Dic mihi quæso, si etiam de peccato propitiato timere debeamus, quomodo fieri

H 2

fieri

CONTRA ILLOS, QVI SESE EX-
citant dicentes, viam Virtutis asperam
esse & difficilem.

CAPVT XXVIII.



Liam quoque huius seculi homines so-
lent adferre excusationem ne sine can-
sa virtutem nolle sectari videantur, di-
centes, illam asperam esse & diffici-
lem: licet non ignorent hanc difficul-

tatem non nasci ex ipsa virtute, (est enim ea ratio-
nis amica, & optime rationali creatura consenta-
nea) sed ex mala carnis, & appetitus nostri inclina-
tione: quæ suam ex peccato trahit originem. Hinc
est quod Apostolus dicit: carnem concupiscere con-
tra spiritum, & spiritum contra carnem, & hæc duo
inter se pugnant. Et alio loco dicit: *Condelector legi* Rom. 7, 23.
Desecundum hominem interiozem, video autem aliam
legem in membris meis, repugnantem legi mentis mea-
e, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mem-
bris meis. Quibus verbis Apostolus significat, legem
Dei, & Virtutem optime conuenire cum parte ani-
mæ nostræ superiori, quæ tota spiritualis est, in
qua intellectus est & voluntas: sed custodiam il-
lius per legem membrorum impediri: contingit au-
tem illud ex mala inclinatione & corruptione app-
etitus nostri, omniumque illius passionum, quæ ad-
uersantur superiori animæ portioni, cum illa Deo ad-
uersetur: quod dissidium causa est omnis huius dif-
ficultatis.

Hanc ob causam multi à virtutibus abhorrent, li-
cet eas alioquin magni faciant, vti & agroti faciunt,
qui est sanitatem appetant, à medicinis tamen ab-
horrent, eo quod amaras & mali saporis esse arbi-
trantur. Quare si hominibus hunc errorem & opinio-
nem eximamus, rem non penitendam facturos nos
existimo: ea namque sola est, quæ separat illos à vir-
tute: præter hanc enim difficultatem nihil est in vir-
tute, quod non summo opere appetendum est.

Quomodo gratia nobis per Christum data, virtutis
viam reddat facilem.

Sciendum hoc loco ante omnia est, primariam
causam erroris causam esse, quod homines exi-
guam hanc difficultatem, quæ in virtute repe-
ritur, tantum intuentur, & ad diuina subsidia, quæ
submittit Deus, ad illam superandam, oculos non at-
tollant. Quale genus erroris erat illud Giezi discipu-
li quondam Heliæ, qui videns Syrorum exercitum
in circuitu ciuitatis, & equos, & currus domum Pro-
phetae cinxisse, non videbat exercitum Domini ad de-
fensionem illius præparatum, donec per orationem
Prophetae Dei oculi eius aperti sunt, & vidit multo-
res esse defensores, quam hostes. Similis error eo-
rum est, de quibus nunc agimus. Cum enim diffi-
cultatem Virtutis in se experiantur, gratias & adiuto-
ria Dei ad virtutum consecutionem data non experi-
ti, viam Virtutis putant esse difficillimam, & pedem
retrahunt, virtutemque fugiunt.

Dic mihi, si virtutis via tam sit difficilis, cur Pro-
pheta dicit: *In via testimoniorum tuorum delectari* Psal. 119, 14.
sum, sicut in omnibus diuitijs. Et in alio loco: *Iudicia* Psal. 119, 10.
Domini vera, iustificata in semetipso: Desiderabilia su-
per aurum & lapidem pretiosum multum: dulciora super
mel & fauam. Ita vt Propheta non tantum concedat
illud, quod nos omnes Virtuti tribuimus, admiran-
dam scilicet excellentiam & dignitatem, sed & illud,
quod mundus negat, dulcedinem scilicet & suauita-
tem. Hanc ob causam non immerito tibi poteris per-
suadere illos, qui onus hoc sic exaggerant, & tam gra-
ue sibi fingunt, (et si Christiani sint & in lege gratie vi-
uant) nondum mysterium hoc delibasse. O miserum te, tu
qui dicis, quia Christianus es, dic mihi cur Christus in
viam

88
Ecclef. 5, 10. fieri potest, vt tu securus sis, quotidie peccata peccatis
adiungendo? Diligenter autem aduerte quod dicit: *In*
peccatores respiciat illius. ab illa enim sententia tota
dependet materia. Sciendum enim est, quod etsi diui-
na misericordia sese ad iustos extendat, & iniustos
seu peccatores, hos vocans, & ad penitentiam ex-
pectans, illos conseruans: nihilominus summa gratia
& insignia ista beneficia, quæ Deus in scripturis homi-
nibus pollicetur, specialiter ad iustos pertinent, qui
quemadmodum legem Domini fideliter obseruant,
ita fideliter à Deo obseruantur: stat promissis, & ve-
rus illis pater est, vti illi morigeri sunt illius filij. E
contrario quicquid de minis, maledictionibus & ri-
gore diuinæ iustitiæ habent sacri Bibliorum libri, id
totum propriè ad te tuique similes pertinet. Quæ ita-
que tua illa cecitas, quæ insensibilitas, quod non me-
ritis tantas tibi intentatas comminationes & te con-
solaris promissionibus tibi non factis? O miserum te,
ea quæ de te loquuntur respice, & iustis sua tribue. Ad
te pertinet ira, time: amor ad iustos: exultent illi &
securi sint. Vis probem id ita esse? audi quid dicat Da-
uid: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces*
eorum. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut*
perdat de terra memoriam eorum. Simile quid & in
Esdra inuenitur: *Manus Dei nostri,* ait Esdras, *hoc*
est, diuina prouidentia, est super omnes, qui quarunt
sum in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius, &
furo super omnes, qui derelinquunt eum. Quod cum
ita sit, quid o miser perseueras in peccato? quid te-
metipsum fallis? quid itupes? quid vacillas? Hæc Scri-
pturæ testimonia non sunt pro te, quamdiu manes in
statu damnationis, non loquitur tibi amoris & bene-
uolentiæ diuinæ dulcedo. Hæc est portio Iacob, non
pertinet hæc ad Esau, hæc est sors bonorum, tu qui
malus es, quid hic iuris habes? desine malus esse, &
erit ea tua; derelinque vitam impiam, & blandietur
tibi beneuolentia Dei, & paterna illius prouidentia.
Quod nisi feceris, tyrannus es, & alterius iura tibi
vsurpas. *Spera in Domino,* inquit Dauid, *& fac bona-*
tem, & in alio loco: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, &*
sperate in Domino. Hic optimus sperandi modus est:
noli amplius abuti misericordia Dei in peccatis per-
seuerando, & in cælum te venturum sperando. Opti-
ma spes est, si peccata fugias, & Deum inuoces: sin au-
tem in peccatis tuis perseueres, non est illud sperare,
sed præsumere; non est hoc sperare misericordiam,
sed est rem indignam illa facere, atque illam offende-
re. Quemadmodum enim Ecclesia nihil prodest illis,
qui exeunt ab illa, vt malefaciant: sic etiam æquum
est, vt misericordia Dei non prosit his, qui in peccatis
perseuerant. Illud ante omnia diuini verbi dispensa-
tores considerare deberent, qui sæpe non animadu-
erentes apud quos conciones habent, malis præbent
occasionem in peccatis perseuerandi. Respicere debe-
rent, quod sicut corpus infirmum seu agrotum, quo
plus comedit, hoc maius accipit detrimentum; ita
etiam anima in peccatis obdurata, quod plus illo ge-
nere fiduciæ lactatur, eo amplius induratur, & moue-
tur ad perseuerandum in peccatis. Coronidis loco in-
signis sit illa D. Augustini sententia: *Sperando & de-*
sperando pereunt homines. *Sperando male in vita,*
desperando peius in morte. Desine itaque mi frater,
& derelinque spem illam præsumptuosam: recorda-
re quia Dominus vt misericors, ita quoque iustus est.
Quemadmodum itaque ad misericordiam respicis,
vt speres; ita quoque ad iustitiam respice, vt me-
tuas. Nam, quemadmodum Beatus Bernardus di-
cit, Deus duos pedes habet, misericordiam & iudi-
cium: & neutrum solum apprehendere debemus:
iustitia siquidem sine misericordia, non ita facit ti-
mere, quam misericordia sine iustitia facit homines
in mala vita perseuerare.

Promissione:
Dei ad iustos
pertinet, mi-
ne ad ini-
stos.

2. Psalm. 33, 16.

1. Esdr. 8, 22.

2. Psalm. 33, 16.

2. Psalm. 33, 16.

Aug. homil.
1. inter 30
& serm. 47
& 49. de Ver-
bis Domini
Secundum 10.

Bern. serm.
36. inter par-
uos, & serm.
6. in Cant.

Virtutis
amici.

Psal. 119, 14.

Psal. 119, 10.

mundum venit? cur sanguinem fudit? cur instituit Sacramenta? cur Spiritum sanctum demisit? quid sibi vult vox Evangelij? quid vocabulum gratia? quid vult illud celeberrimum nomen Iesu? Si id ignores, ab Evangelista pete, & dicet tibi: *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quid aliud sibi vult nomen Saluatoris & liberatoris? quid salutare & liberare à peccatis aliud est, quam indulgentiam pro nobis impetrare prætorum peccatorum, & gratiam obtinere ad fugiendam futura? Quam aliam ob causam Saluator in mundum venit, nisi ut adiuvaret te, & salutem tuam promoueret? cur in cruce mori voluit, nisi ut peccatum interficeret? cur à mortuis resurgere, nisi ut te resuscitaret, & in novitate vitæ faceret ambulare? cur sanguinem suum fudit, nisi ut medicamentum, seu emplastrum conficeret, ad vulnera tua reficienda & sananda? Quam ob causam aliam Sacramenta Ecclesiae instituit, nisi ad remedium tuorum peccatorum? Quis alius est fructus amarissimæ illius passionis, & in hunc mundum aduentus, nisi ut viam cæli prius horridam spinis, & asperam complanaret, & permeabilem redderet? Hoc est illud quod Esaias prædixerat fore, ut in diebus Messiae *omnis vallis exaltaretur, & omnis mons & collis humiliaretur, essentque prava omnia in directa, & aspera in vias planas.* Cur denique præter hæc omnia Spiritum sanctum cælitus demisit, nisi ut caro tua in spiritum converteretur? & cur in specie ignis illum misit, nisi ut te, sicut ignis inflammaret, illuminaret, te in seipsum transformaret, & sursum elevarer; unde ille prius descenderat? Ad quid conducit gratia cum virtutibus infusis, quæ ex illa generantur, nisi ut alleuient, atque tolerabile faciant iugum Domini? ut facilem reddant virtutem? ut exultent homines in tribulationibus? ut sperent in periculis, & vincant in tentationibus? Hoc initium, hoc medium, hic finis Evangelij. Necessè quoque est non ignorare; quemadmodum vnus homo terrenus & peccator Adam omnes homines terrenos fecit & peccatores; ita hominem alium cælestem & iustum, Christum nimirum, fecisse omnes homines cælestes & iustos. Quid aliud Evangelista scripturarum? quæ aliæ sunt promissiones à Prophetis ad nos transmissæ? quid aliud prædicarunt Apostoli? Hæc summa est totius Theologiæ Christianæ, hoc est verbum abbreviatum, quod fecit Dominus super terram. Hæc est consummatio & abbreviatio, quam Esaias dicit se audivisse à Domino, quam in mundo tantæ virtutum & iustitiæ diuitiæ subsecuta sunt.

Sed quæ diximus, paulò dilucidius explicemus. Quæro à te, unde putas oritur hæc difficultas, quæ in virtutibus reperitur? Dicis mihi, ex prava cordis inclinatione, & ex carne nostra in peccatis concepta? Caro enim contradicit spiritui, & spiritus carni adversatur, tanquam duo inter se contraria. Fingamus Deum te vocare & dicere; Ades dum homo: auferam à te cor illud quod habes, & novum dabo tibi, addam quoque vires, quibus poteris appetitus, & mala desideria tua reprimere. Si Deus hoc tibi promittat, videbiturne adhuc tibi via virtutis difficilis? Certum est quod non. Quæro quid aliud est, quod Deus toties tibi repromittit? toties in Scripturis sacris affirmavit? Audi quid per Prophetam Ezechielem quondam dixerit Dominus, loquens potissimum illis, qui in lege gratia viuunt: *Et dabo eis cor novum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: ut in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea. & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deus.* Hucusque Propheta. Quid itaque dubitas o homo? an non satisfaciens tibi Deus, & promissionem suam adimplebit? vel si fidem suam liberaverit Deus, Granatens. Opusc. spirit. ual.

an non cum illo adiutorio poteris legem Dei obsequare? Si primum negaveris, facies Deum permissorem temerarium & falsum, estque ea blasphemia omnium maxima: si autem dixeris te necdum illo auxilio legem posse implere, facis Deum prouisorem impotentem, dum vult hominem iuvare, & non potest, dando illi remedium non sufficiens, quod similiter falsum est. Quæ ergo reliqua est dubitatio? Cur non haberet virtus vim ad mortificandas malas istas inclinationes, quæ tecum pugnant, faciuntque virtutis viam ut difficilis videatur? Hic vnus est ex primariis effectibus arboris vitæ, quam Dominus suo sanguine sanctificauit. Confirmat hoc Apostolus, cum dicit: *Vetus homo noster crucifixus est cum Christo, ut destrueretur corpus peccati, ut ultra non seruamus peccato.* Apostolus hoc loco per hominem veterem & corpus peccati intelligit appetitum nostrum sensitiuum cum omnibus suis inclinationibus malis, quæ ex illo oriuntur. Hunc dicit crucifixum vñ cum Christo in cruce; per nobilissimum enim hoc sacrificium obtinuimus gratiam & robur ad tyrannum illum debellandum, ita ut immunes simus a malis eius moribus & peccati seruitute, ut superius demonstrauimus. Hæc est magna illa victoria, ingensque beneficium, quod Dominus promittit per Esaiam dicens: *Ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus, confortante, & auxiliatus sum tibi, & suscepisti te dexteram iusti mei.* Ecce confundentur & erubescunt omnes qui pugnant aduersum te; erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Quære eos, & non inuenies viros rebelles tuos: erunt quasi non sint, & velut consumptio hominis bellantis aduersum te. Quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, discensque tibi, Ne timeas, ego adiunxi te. Hæc Esaias. Dic mihi, quis deficiet tale habens adiutorium? Quis animum desponderet, quis eximeliceret, aut malas suas passionibus reformidaret, cum eas gratia sic vincat.

Respondetur ad obiectiones nonnullas.

Si mihi dixeris, semper manent aliquæ reliquæ in homine, quæ accusant, ut in libro Iob habetur, & testimonium ferunt contra iustum. Ad hoc responderet idem Propheta dicens: *Erunt, quasi non sint.* Nam etiam manent, manent tantum ad exercitium nostrum, non ad ruinam: manent ut excitent nos, non ut laqueum peccatorum tendant: manent ut nobis occasionem coronæ tribuant, non ut labi nos faciant: manent ad triumphum, non ut nobis dominentur: manent denique sic ut conducant nobis ad probationem, humilitatemque hominis ad cognitionem sui ipsius & fragilitatis suæ: ad gloriam Dei & gratia illius: ita ut illud manere in nostram redundet utilitatem. Unde quemadmodum fera (quo ad naturam illarum) noxiæ sunt hominibus, & tamen cum domantur, ijs seruiunt: ita cum animi nostri perturbationes moderantur, & reguntur, iuuant nos in multis virtutum exercitiis. Age dic mihi: Si Deus te hoc modo corroboret & defendat, quis poterit tibi in terris obesse? si Deus pro te, quis contra te? Dominus illuminatio mea, inquit Propheta, & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Dum appropriant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me praelium, in hoc ego sperabo. Verè, mi frater, si ista promissione non moueare ad seruendum Domino, valde segnies & vilis, ne dicam fordibus & abiectus, & si verba illa fidem in te non pariant, verè admodum infidelis es. Deus est qui dicit tibi, se nouam tibi essentiam daturum, cor tuum ex lapideo carneum facturum, & passionibus tuas mortificaturum; ita conditio-

nem tuam se mittaturum, vt temetipsum non sis agnitus: cum queras tuas passiones, eas non sis inuenturus, adeo debiles & infirmas eas se facturum. Quid vltra posset polliceri, quid amplius sperare, quid expectare posses? quid deest tibi, nisi vna Fides & Spes vna, vt Deo confidas, & potenti illius brachio te subijcias?

Alia obiectio
cum respon-
sione.

Existimo sane nihil te ad hoc posse respondere, nisi forte peccata tua esse multa & magna, atque ob id gratiam illam tibi negatum iri. Ad hoc respondeo, non posse te maiorem iniuriam Deo inferre, quam hoc dicere, cum ijs verbis significes esse aliquid ob quod Deus creaturae suae, aut non vult, aut non potest opitulari, si conuertatur ad illum, & remedium ab eo petat. Nolo mihi fidem adhibeas, crede sancto illi Propheta, qui tunc memor fuisse videtur, & tibi obuiam venire voluisse, quando hac scripsit, dicens:

Deut. 30, 1.

Cum ergo venerint super te omnes, sermones isti, benedictio sine maledictio, quam proposui in conspectu tuo, & ductus peritiam cordis tui in vniuersis gentibus, in quas dispersit te Dominus Deus tuus, & reuersus fueris ad eum & obedieris eius imperijs, sicut ego hodie precipio tibi, cum filiis tuis in toto corde tuo, & in tota anima tua: reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, & miseretur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit, atque introducet in terram, quam possederunt patres tui, & obtinebis eam. Et paulo post: Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere. O si Dominus nunc etiam oculos tuos circumcideret, atque te ex istis tenebris eriperet, vt perspicere videre posses hunc circumciscendi modum. Noli esse tam rudis, vt existimes istam circumciscionem esse corporalem: talis enim circumciscionis cor nostrum capax non est.

Ibid. v. 6.

Spiritualis
circumcisio.

Que igitur est ea circumcisio, quam Dominus hic pollicetur? est profecto superfluitas nostrarum passionum, malorumque appetituum, quae ex corde nascitur, & magnum adfert in amore diuino impedimentum. Promittit igitur se circumcisciturum, & amputaturum omnes ramos steriles & noxios cultro suae gratiae: vt cor nostrum sic amputatum & circumcisciturum, omnes vires suas ramo diuini amoris impendat. Tunc eris verus Israelita, tunc eris à Domino circumcisciturus, quando ab animo tuo abstulerit, & amputauerit amorem mundi & nihil in eo manserit praeter solum amorem Dei.

Volo te diligenter etiam notare, quod Deus hoc loco se facturum promittit, illud alio loco tibi mandare, vt cum conuersus fueris ad illum, hoc ipse facias, dicens: Circumcidite praeputia cordis vestri, &c. Et quomodo Domine? quod tu te facturum polliceris, id mihi nunc, vt faciam, imperas? si ego id facere debeam, quomodo tu te praestitutum promittis? Ea quaestio soluitur verbis Augustini, qui dicit: Domine da quod iubes, & iube quod vis. Ita vt ille sit, qui mihi iubet quid facere debeam, & idem ille sit, qui mihi gratiam dat illud faciendi. In vna eademque ergo re inueniuntur mandatum, & promissio; & vnum idemque facit Deus & homo: ipse tanquam causa primaria, homo vero tanquam minus principalis. Ita vt Deus cum homine in hoc opere sese habeat tanquam pictor, qui penicillum regeret in manu sui discipuli, atque ita faceret perfectam imaginem: Duo quidem hoc opus perficiunt, non autem idem est vtriusque honor & efficacia. Sic & Deus, salua semper arbitrij libertate, in hoc opere nobiscum agit: opere namque absoluto, non habet homo in quo gloriatur, gloriari autem debet cum Propheta, & dicere: Domine, tu omnia opera in nobis operatus es.

Isa. 26, 12.

Memor igitur esto horum verborum; poteris enim per illa omnia Dei mandata interpretari. Omne enim

quod mandatur tibi vt facias, idem etiam promittit se tecum facturum. Cum itaque precipitur tibi, vt circumcidas cor tuum, dicit etiam se id circumcisciturum? Sic quando iubet, vt diligas eum super omnia, ipse confert gratiam, vt sic eum queas diligere. Hinc est vniugum Domini suae esse dicatur. Duo enim sunt qui trahunt illud, Deus scilicet & homo: & sic quod natura videbatur & erat difficile, diuina gratia leue facit atque suauis. Quapropter & Propheta post praedicta verba vltius pergit: Mandatum hoc, inquit, quod ego precipio tibi hodie, non supra te est, neque praeter positum, neque in celum situm, vt possis dicere. Quis nostrum valet ad celum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus atque opere impleamus? Neque trans mare possumus, vt causeris, & dicas: Quis est nobis poterit transire mare, & illud ad nos usque deferre: vt possimus audire, & facere quod praeceptum est? Sed iuxta te est sermo valde, & in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum, in quibus verbis sanctus Propheta voluit omnino auferre difficultatem, quam homines carnales fingunt in praeceptis Domini: respicientes enim ad legem Domini sine Euangelio hoc est, ad ea quae precipiuntur, & non ad gratiam, quae datur vt praecepta queant a nobis impleri; causantur legis difficultatem, eam grauem & difficilem dicentes, non considerantes se expressè contradicere D. Ioanni, qui dicit: Haec est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius graua non sunt: omne enim quod natum est ex Deo, vincit mundum: hoc est, omnes illi, qui Spiritum Dei in animabus suis conceperunt, quo mediante regenerati sunt & filij facti eius, cuius spiritum acceperunt, ij omnes habent Deum in se, qui habitat in ipsis per gratiam: possuntque plus quam omne id quod Deus non est, atque ita nec mundus, nec Diabolus, nec omnis potestas Inferni potest talibus nocere. Atque hinc sequitur, quod licet iugum mandatorum Dei graue sit & onerosum, noua tamen fortitudo, quae per gratiam datur, facit illud leue & tolerabile.

Quomodo Charitas quoque leuem & suauem reddat viam, quae ducit ad celum.

Quid tibi videbitur, si omnibus supradictis adiungatur auxilium, quod ex Charitate in nos deriuatur? Certum enim est ex principalioribus Charitatis conditionibus vnam esse, iugum legis diuinae facere suauissimum. quare, vt B. Augustinus dicit: nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Et alio loco: Qui amat, ait, non laborat: Omnis enim labor non amantibus contrarius est. Solutus amor est, qui nomen difficultatis erubescit. Quid est quod facit, vt mater non sentiat continuis labores & molestias, quas habet in educandis proliis, nisi solus amor? Quid est quod facit honestam & bonam coniugem marito suo infirmo noctes atque dies famulari, nisi solus amor? Quid mouet etiam bestias, vt tam sollicitae sint in catulis & pullis suis educandis, etiam cibum ori proprio subtrahendo, vt pulli habeant quod edant; affligendo se, vt illi tuto uiuant, & defendendo illos tanto zelo, nisi verus amor? Que causa est cur D. Paulus tam magnanimo spiritu dixerit: Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? sicut scriptum est, propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oues occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. Que causa, cur bea-

Tex. 2. in
non est in
possibilia.

Deut. 30, 11.

1. Ioan. 4.

Aug. lib. de
sancta Vi-
dit cap. 21.

Lib. 3. Com-
fess.

Rom. 8, 35.

Petrus Ra-
uenas su-
per illud,
Dilige Do-
minum De-
um, &c.

est beatissimus pater noster S. Dominicus martyriū
tanto appetierit ardore, quanto desiderat certius ad
fontes aquarum, nisi verus amor? Quæ causa, vt B.
Laurentius in craticula iacens extensus, in medijs ar-
doribus latus dixerit flammis ista membra sua re-
frigerare, nisi summa cupiditas, qua martyriū appe-
tebat, quæ succensa erat flammis huius amoris? Nihil
enim durum, nihil amarum, nihil graue, nihil lethale
computat verus amor, inquit Petrus Rauenas. Quod
ferum, quæ vulnera, quæ poena, quæ mortes amorem
prævalent superare perfectum? Amor est impenetra-
bilis lorica, respuit iacula, gladium excutit, periculis
insultat, mortem irridet, si amor est, vincit omnia. A-
ma ergo o homo Deum, ama totus, vt possis omnia
sine labore vincere & delectare peccata. Teneat militia
& delicati conflictus est amore solo de cunctis crimi-
nibus reportare victoriam. Hec ille. Non est autem
verus amor contentus, si omnes labores & molestias
superet, sed & plura etiam amore illius, quem amat,
ferre desiderat. Hinc tam ardens martyrii cupitas o-
ritur, quam habent homines perfecti, hoc est, effunde-
re sanguinem pro eo, qui prius suum fudit pro ipsis;
Cumque non possunt ad illud peruenire, quod desi-
derant, in seipsos deserviunt, sui ipsorum carnifices fa-
cti, excarnificant enim corpus suum fame, siti, frigore,
aestu, & multis alijs afflictionibus: & talibus operibus
desiderio suo aliquo modo satisfaciunt. Non intelligunt
hoc idem idioma multi amatores, nec imaginari pos-
sunt quomodo tam ardentem amari possit illud, a quo
ipsi adeo abhorrent; & e contrario tanto opere abhor-
reri ab illo, quod ipsi tam tenerè diligunt, & tamen
rei veritas hæc est. Legimus in Scripturis Aegyptios
habuisse pro Dijs animalia bruta, eaque adorasse.
Israhelita verò appellabant abominationem, id quod
illi Deum vocabant, & occidebant, immolabantque
vero Deo suo eadem animalia, quæ Aegyptij vt Deos
adorabant. Eodem modo & iusti vocant abominati-
onem, instar Israhelitarum, Deos huius mundi, vt sunt
honores, voluptates, diuitiæ, quæ tamen mundus ad-
orat, & occident illos falsos Deos tanquam abomi-
nationes ad veri Dei sui gloriam immolant. Sic qui
vult Deo offerre sacrificium gratum, respiciat ad id
quod mundus adorat, & illud offerat, & amplectatur
illud quod mundus abominatur. Nomen hoc fecisse
tibi videntur illi, qui postquam receperant primitias
Spiritus Sancti, gaudentes ibant a conspectu concilij, eo
quod digni habui fuerant iniuriam pati pro nomine Iesu?

Act. 13, 41.

Quid dicis adhuc? id quod potest dulcia reddere
vincula, flagella, flammæ & alia tormenta, non po-
terit dulcem facere custodiam mandatorum Dei? Et
quod quotidie satis est, vt iusti non solum portent iu-
gum legis, sed superaddant appendices, opera scilicet
quæ à Theologis supererogationes appellantur, vt
sunt vigilia, disciplina, cilicia, voluntaria paupertas;
non poterit facere; vt tu portes simplex onus legis
Dei, & matris Ecclesiæ? Erras, mi frater, erras, ignoras
naturam virtutis, vimque charitatis & gratiæ diuinæ.

De alijs rebus, quæ faciunt facilem & suauem
viam salutis.

Quæ hæcenus à nobis dicta sunt, sufficiunt ad
rollendum commune illud impedimentum,
quod multi allegant. Sed ponamus casum ni-
hil illorum esse, & propterea viam hanc arduam esse,
& difficilem. quæso, dic mihi, cur molestum tibi esset
facere aliquid pro anima tua, quod pro corpore face-
re non recusas? an magnum erit aliqualem perferre
molestiam, vt æternos cruciatus effugas? Quæ putas
non lubens faceret diues ille atarus in Inferno sepul-
tus, si daretur illi licentia ad seculum reuertendi, vt e-
mendaret suos errores? Non est æquum, vt tu minus
facias nunc, quam ille faceret, cum, si tu in malitia tua
perseueres, eadem te mancant tormenta, ac proinde

ideum desiderium habere debebas.

Præterea si diligenter tecum perpenderes multa &
magna, quæ pro te fecit Deus, & maiora quæ promi-
sit, plurima tua peccata, quibus illum offendisti, ma-
gna quoque tormenta, quæ passi sunt Sancti; maxime
verò quæ Sanctus Sanctorum ipse pertulit, sine dubio
puderet te nolle pati tantillum amore Dei? imò ali-
quid nolle fugere, quod te delectat. Propterea dicit
Bernardus, passionibus huius temporis non esse condi-
gnas ad præteritam culpam, quæ remittitur, non ad
præsentem consolationis gratiam, quæ immittitur,
non ad futuram gloriam, quæ nobis promittitur. Sin-
gula istarum considerationum nos merito permoue-
re deberent ad viam hanc, quantumvis etiam esset la-
boriosa, ingrediendam. Sed, vt verum fateamur, etsi
vita nostra ab omni parte, & in singulis passibus mo-
lestia sit & plena tribulationibus, sine comparatio-
ne tamen maior est molestia, quæ in vita malorum
inuenitur, quam quæ in vita bonorum. Nam etsi ire
vel ambulare in via laboriosum sit, quocunque modo
ambules, (tandem enim defatigaris) tamen multo
maior est molestia eius qui cæcus ambulat, & sæpius
in lapides impingit, quam illius qui graditur oculis ap-
ertis, & videt vbi & quomodo incedit. Cum itaque
vita nostra via sit, non potest fieri, quin vel homo de-
fatigetur, donec ad locum quietis peruenerit. Pecca-
tor verò qui non vititur lumine rationis, sed passioni-
bus, & animæ suæ perturbationibus regitur, certum est
quod cæcus ambulat: non enim quid cæcus in mundo
reperitur animæ perturbationibus. Boni verò qui à
ratione reguntur, cum præcipitia occurrunt, ea deu-
tant, & sic cum minori labore, & maiori ambulant se-
curitate. Intellexit hoc olim magnus ille Sapiens, &
propterea dicebat: *Iustorum semita quasi lux splendens* Provi. 4, 18.

Bern. in ser-
monibus. &
lib. de modo
bene viuendi
ad iocundum
c. 67.

Simile.

Difficile via
malorum.

*procedit, & crescit usque ad perfectam diem. Via impio-
rum tenebrosa, nesciunt vbi corruiant.* Nec tantum obscura
est semita malorum, vt Salomon hic dicit, sed & dif-
ficilis, lubrica, & plena foveis, vt dicit David: vt ex eo
discas, quoties labitur, qui viam illam ingreditur. Pre-
terea in exigua illa molestia, quæ bonis occurrit, nul-
ledantur subsidiorum genera, quæ alletant, & minu-
unt istam molestiam. Principaliter enim adiuvat præ-
sentia & paterna Dei providentia, quæ regit illos; &
gratia Spiritus sancti, quæ animos addit; & Sacramen-
ta quæ sanctificant, & consolationes diuinæ quæ ex-
hilarant, & exempla bonorum quæ confortant, & sa-
cræ Scripturæ quæ docent, & gaudium bonæ consci-
entiæ quod illos consolatur, denique & spes gloriæ
quæ immobiles eos reddit, & constantes, cum nulle
alijs gratijs & beneficijs Dei, quæ ambulatibus hanc
viam tam facilem & iucundam reddunt; vt dicant
cum Propheta: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua,* Psal. 118, 103.

super mel ori meo. Sit quisquis velit, qui considerat di-
ligenter, inueniet plurimas de hac re Scripturæ aucto-
ritates, quarum tamen quedam hanc viam faciunt as-
peram, leuem aliam. Idem enim Propheta alio loco di-
cit: *Propter verba labiorum tuorum ego custodius* Psal. 16, 4.
vias duras & alibi: *In via testimoniorum tuorum de-* Psal. 118, 14.
lectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Habet enim via
hæc duo, difficultatem, & suauitatem: vnam ratione
naturæ, alteram ratione gratiæ: atque ita quæ difficilis
est ratione vnius, alterius ratione dulcescit & suauis
efficitur. Tam vnum quam aliud ostendit Dominus
cum dicit, iugum suum esse suauem, & onus leue: Cum
enim dicit iugum significat grauitatem, quæ in via Do-
mini est: cum verò dicit suauem, insinuat facilitatem,
quæ est ex parte gratiæ, quæ datur. Quod si meroga-
ueris, quomodo & iugum esse possit, & suauem, cum na-
tura iugi sit esse graue? Ad hoc respondetur, rationem
illius esse hanc, quia Dominus illud alletat, vt per
Prophetam pollicetur: *Et ero eis quasi ex albis iugum super* Osee 10, 4.
maxillas eorum. Quid itaque mirum, si iugum leue sit,

H 4

quod

quod Dominus sustinet, eleuat, & quasi ipse portat? Si rubus arserit, & non consumebatur, eo quod Dominus esset in eo; quid mirum, quod & onus sit, & leue; si in eo sit idem Dominus, qui adiuvat nos illud portare? Vis ostendam tibi tam vnum, quam alterum in vna eademque persona? audi quid dicat B. Apostolus; *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; in omni persequutione, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur; deprecamur, sed non perimus.* Ecce hic ab vna parte labor est & angustia, & ab altera solamen & suauitas, quæ tribuit Dominus in illis. Sanè & Propheta Esaias idem insinuat, cum dicit; *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumet pennas sicut aquilæ; current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Viden hic iugum per gratiam leue factum. Viden fortitudinem carnis mutatam in fortitudinem spiritus; aut vt melius dicam, fortitudinem hominis, in fortitudinem Dei? Viden quomodo sanctus Propheta non tacet aut molestiam aut quietem? Non habes itaque, mi frater, causam, ob quam ab hac via abhorreas, quantumlibet aspera sit & difficilis, cum tot & tanta sunt, quæ planam illam faciunt & facilem.

Probatur exemplis omnia prædicta vera esse.

Ceterum si omnia, quæ hactenus à nobis dicta sunt, tuum nequeunt expugnare obduratum animum, & incredulitas tua sit instar illius B. Thomæ, qui credere volebat, nisi prius videret, atque tangeret; etiam hanc prouinciam suscipiam, vt tibi vel tandem satisfiat. Quo enim tam honestam, vtilem, & iustam causam defendam, nullas grauior adire molestias. Accipiamus itaque hominem, qui vtrumque expertus est: hoc est, qui aliquamdiu mundo seruiuit, carnaliter vixit peccatis subditus; postea verò per misericordiam Dei mutatus est, & alius à priore factus. Talis erit nobis optimus in hac causa ludeus: Ipse enim non ex auditu, sed ex visu iudicabit, cum per experientiam vtrumque didicerit. Hunc interroga, vtrum eorum videatur illi dulcius, atque suauius? De pluribus huiusmodi optimum norunt dare testimonium hi, qui in ecclesijs constituti sunt, vt aliorum examinent conscientias. hi enim sunt *qui descendunt in mare nauibus*, & vident opera Dei *in aquis multis*: quæ sunt opera gratiæ diuinæ, & mutationes maxime, quæ mediante illa quotidie sunt in hominibus: quæ profecto summa dignæ sunt admiratione. Reuera enim in mundo nihil inuenitur maiori dignum stupore, quoque quotidie renouetur magis (si quis bene consideret) quam videre illa, quæ diuina gratia in animis iustorum operatur, quomodo hominem transformat, eleuat, confortat, consolatur, foris atque intus exornat, quomodo mores veteris hominis mutat, quomodo omnes eius affectus alterat, quomodo facit hominem odisse, quod prius amabat, & amare quod odebat: suauitatem facit inuenire in eo, quod prius despicebat, quas vires largitur, vt constans perseveret; quale gaudium, quod lumen, quam pacem ad cognoscendam voluntatem Dei, vanitatem mundi, & dignitatem rerum spiritualium, quas prius aspernabatur. Illud autem maxime admirandum est, quod videmus hæc omnia fieri exiguo admodum temporis spatio: ita vt necesse non sit per multos annos frequentare scholas Philosophorum, & expectare canos capillos, vt ætas adiuuet intellectum, & mortificet passionem, sed in medio seruire iuuentutis, & in paucorum dierum spatio adeo mutatur homo, vt alius factus esse videatur. Quare B. Cyprianus dicit hanc mutationem prius sentiri, quam adfiscineque studio multorum annorum acquiri, sed per gratiam, quæ illam breuissimo dat tempore, obtineri. Quam gratiam merito possumus appellare fascinum spiritale, quo

Deus modo quodam admirabili cor hominis ita immutat, vt ardentissimo quodam amore diligit id à quo prius summo odio abhorrebat, exercitium dico Virtutis, & plusquam vatiniiano odio exerceatur illud quod prius amabat tenerissime, vitiorum scilicet voluptatem.

Hoc vnum ex præcipuis præmijs est eorum, quæ percipiunt ex confessionibus audiendis hi, qui isti officio præficiuntur, faciuntque illud eo spiritu & deuotione, quæ debent: vident enim quotidie multa in hac re mirabilia, cum quibus videtur Deus remunerare illorum labores & molestias, quos vidimus sæpe mutari cum consentientium vitam mutatam viderunt, & maximos in pietate progressus fecerunt, his exemplis incitati. Tacentes enim, tanquam alter Iacob, audiunt verba & mysteria Ioseph, & ea diligenter considerant, suo pretio æstimantes, quod nesciunt facere Gen. 37. pueri, qui tamen illa referunt. Sed pro maiori confirmatione, euidentiaque dictorum, commemorabo hoc loco exempla duorum illustrium Ecclesiæ Doctorum, qui vno eodemque tempore in hoc errore penè vixerunt, sed postquam se decipi viderunt, & diuinæ misericordiæ placeret, conuersi sunt, erroremque & conuersionem ad adificationem posterorum scriptis suis ad nos transmiserunt. Vnus est B. Cyprianus, qui ad amicum suum Donatum scribens, referensque Cypri. lib. 2. initium & progressum suæ conuersionis, ait: Ergo cum in tenebris atque in nocte cæca iacerem, cumque in falso iactantis seculi nutabundus ac dubius vestigijs oberrantibus fluctuarem, vitam meam nescius, veritatis ac lucis alenus, difficile propterea ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renasci denuò posset, vtque in nouam vitam lauacro aquæ salutaris animatus; quod prius fuerat exponeret, corporis licet manente compage, h. minem animo ac mente mutaret. Qui possibilibus aiebam, tanta est conuersio, vt repente ac penitus exuatur, quod vel genuini situ materiam naturalis obduruit, vel usurpatu diu senio vetustatis inoleuit; hæc & p. profunda penitus radice sederit. Quando parsimoniam dedit, qui epularibus cænis & largis dapibus assueuit? & qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Fascibus ille oblectatus & honoribus, priuatus & inglorius esse non potest hæc stipatus clientum cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, penam putat esse cum solus est tenacibus semper illecebris assuetum, necesse est, vt solebat, vinolentia inuictet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc ego met sæpe mecum: nam ipse quamplurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non credebam, sic vitij adhærentibus obsecundans eram, desperatione meliorum malis meis veluti iam proprijs ac vernaculis affluebam. Sed postquam vnde genitilis auxilio superioris tui labe deterfa, in expiatarum peccatorum ac purum desuper so lumen infudit, postquam cælitus spiritu haulto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauit; mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur; vt esset agnoscere, terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium vixisset, Dei esse coepisse, quod iam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse profecto & mecum pariter recognoscis quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum. Scis ipse, nec prædico: in proprias laudes odiosa iactatio est: quamuis non iactatum possit esse, sed gratum, quicquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur, vt iam non peccare, esse

Mod. 1.

2 Cor. 4. 8.

Es. 40. 31.

Joan. 10.

Ps. 106. 23.

Magna mutatio dexterae Zucelji.

Discipuli Christi subito sunt docti.

Cyprianus.

gate, esse ceperit fidei; quod ante peccatum est, fuerit erroris humani. Hucusque verba sunt Cypriani, ex quibus liquet eius & multorum aliorum error, qui difficultatem virtutis proprijs metiuntur viribus; id eoque iudicant difficile & impossibile illam obtinere; & non animaduertunt, quod currentes ad brachia diuina, & firmiter proponentes peccatum fugere, gratia Dei amplectitur: quæ viâ hanc planam reddit, & facile, vt hic patet ex commemorato exemplo: cū certissimum sit, hic tibi mendacia nō dici: nec tibi deerit gratia, quæ non defuit huic Sancto, si tu conuerteris ad Deum, vt ille conuersus est.

Aug. lib. 8.
Confess. cap. 11.

Aliud hic narrare lubet exemplum, non minus mirabile priori. Scribit de seipso Augustinus insignis ille Doctor Ecclesiæ, quod cū iam proponeret in corde suo mundum relinquere, repræsentauerit se maxima difficultas in ea mutatione. Retinebant (ait) me nuge nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & seculæ velle meâ carneam, & submurmurabant: Dimittis ne nos? & a momento isto erimus tecum vltra in æternum? & a momento isto nō tibi licebit hoc & illud vltra in æternum? Et quæ suggerebant in eo quod dixi hoc & illud, quæ suggerebant Deus meus, auertat ab anima serui tui misericordia tua. Quas fordes suggerebant? quæ decora? Et audiebā eas iam longè minus quā dimidijs, non tanquā liberè contradicentes euando in obuiam, sed veluti à dorso multantes, & discedentem quasi furtim vellentes vt respiceret: retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis, & transilire quod vocabar, cū diceret mihi consuetudo violenta: Putas ne sine istis poteris? Sed iam tepidissimè hoc dicebat. Ab alia parte dicit sibi apparuisse Virtutem: Aperiēbatur (inquit) ab ea parte qua intenderam faciem, & quod transire trepidabā, calta dignitas Continentiæ, serena, & non dissolutè hilaris, honestè blandiens vt venire, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendū & amplectendū piæ manus, plenas gregibus bonorum exemplorū. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fecunda mater filiorum gaudiorū, de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret: Tu nō poteris quod isti & iste? An verò isti & iste in semetipsis possunt, ac nō in Domino Deo suo? Dominus Deus eorū me dedit eis. Quid in te istas & nō istas? Projice te in eum, noli metuere, nō se subtrahet vt cadas. Projice te securus, excipiet te & sanabit te. In media hac contentione, dicit Sanctus ille, quod ceperit vehementer flere, Ego, inquit, sub quadam fici arbore me straxi, nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorū, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu Domine vsquequo? Vsquequo Domine iraseris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare non modo, quare nō hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei. His & alijs peractis, quæ ille commemorat, statim quasi lucis securitatis infusa cordi eius, omnis dubitationis teneb: & diffugerunt. Dominus sic animū eius mutauit, vt in futurū nec vitia vlla carnalia, nec quicquam in hoc mundo appetierit. Et solutus ab his

Cap. 12.

lib. 9. Confess. cap. 11.

non mali ego? An facta mea aut si nō facta, dicta mea: aut si nō dicta voluntas mea fuit? Tu autē Domine bonus & misericors, & dextera tua respiciet profunditatem mortis meæ, & a fundo cordis mei exhauries abyssi corruptionis. Et hoc erat totum nolle quod volebas, & velle quod nollebas. Sed vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo altoque seculo euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderet ceruicem meam leni iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ, Christe Iesu, adiutor meus & redemptor meus? Quam suauē mihi subito factum est carere suauitatibus nugarū, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas, ejiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed nō carni & sanguini: omni luce clarior, sed homini secreto interiori: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Hucusque verba sunt D. Augustini. Dic mihi nunc, si sic se res habeat, si virtus & efficacia diuinæ gratiæ tam potens sit, quid est quod te quasi captiuum detinet, & quo minus idem, quod illi faciunt, & tu facias? Si hæc vera esse credas, & esse gratiam Dei efficacem, ad tam admirabilem faciendum mutationem, si ea nemini ex toto corde petenti negetur, (quia & nunc idem Deus est, qui tunc, sine personarum acceptione) quid te remoratur, quo minus ex eas de hac misera seruitute, & amplectaris summum illud bonum, quod tibi gratis offertur? Cur maius cum vno inferno luctificare alius, quā cum vno Paradiso Paradisum alium? Noli esse negligens, aut sine spe. Proba semel negotium hoc, & confide in Deo; quod cū vixdum facere inceperis, ecce veniet tibi obuiam, tanquam filio prodigo Pater expansis brachijs. Mirum profectò est, quod si impostor quispiam polliceretur tibi artem Chymificam, qua posses ex are aurum elicere, non intermitteres (licet magno tibi constaret) quin probares: & hic verbum Domini te docet ex terra celum, ex carne spiritum, ex homine Angelum facere, & experiri non vis? Et cū in fine, vel serius, vel citius, ibi in hac vita, vel in futura tandem cognosces huius rei veritatem, precorte, vt cum attentione consideres, quomodo te deceptum deprehendes in die reddendæ rationis, cū de damnari videbis, eo quod viam Virtutis deserueris; propterea quod asperam & difficilem esse tibi fingebas? cognoscesq; ibidem euidentissimè, hanc multo iucundiorē fuisse, viā vitiorum & voluptatum; quæ te tantum ad terrenas ducebat illecebras, quarum tunc ne quidem vestigium vllum erit reliquum.

CONTRA ILLOS, QUI TIMENT

Virtutis viam ingredi, propter amorem huius mundi.

CAPVT XXIX.

SI tangeremus arteriam eorum omnium, qui timeant virtutis viam ingredi, inueniremus fortassis, nonnullos adeo segnes esse & desides, eo quod mūdi huius amor eos infatuauit; dico eos infatuatos: amor enim ille falsa imago est, & apparentia bonorum, quæ reuera bona non sunt: quæ facit, vt omnia quæ mundana sunt, in tanto apud ignaros sint pretio. Vnde bestia quæ metuunt umbras, omnia vmbrosa fugiunt, tanquam eadem sint periculosa, vel noxia, cū tamen non sint: Sic illi e contrario amant, & sequuntur res mundi huius, putantes eas esse amabiles seu delectabiles, cū nequaquam sint. Proinde quemadmodum illi, qui volunt ab hac imaginatione vmbra-tili bestias disuicere, curant, vt sepe per huiusmodi loca ducantur, quæ metuunt: vt videant id quod metuebant vanam vmbra tantum esse: Ita modò necessarium est, vt ducamus per vmbas rerum mundanarum hos, qui tam inordinate illas amant, faciamusque vt alijs

Disimile.

vt alijs eas intueantur oculis, vt quanta vanitas est, & vmbra vniuersum illud, quod tantopere admirantur, aperte vident: & quod quemadmodum pericula ista digna non sunt, quæ metuantur; ita etiam bona ista digna non sunt, quæ appetantur, aut amontur. Qui cõsiderat itaque mundum cum omnibus suis felicitatibus, inueniet sex in eo esse mala, quæ nemo mihi poterit negare, vt sunt; breuitas, miseria, pericula, cæcitas, peccata, & fallacia, quibus semper mixta est eius felicitas: ex quibus non obscure videtur, quis, & qualis sit, de singulis horum tractabimus in sequentibus, breuiter tamen, & ordine.

Quam brevis sit huius mundi felicitas.

A Ge incepturo mihi de felicitate mundana disputare, negare non poteris, quin omnis mundi felicitas & suauitas (quocunque tu nomine vocari velis) brevis est. Non enim potest hæc felicitas durare vltra vitam hominis. Quam autem longa sit hominis vita, superius à nobis declaratum est; cum vita hominis vix ad annos centum extendatur. Sed quoruusquisque ad centesimum annum peruenit? Vidi aliquos factos Episcopos & Cardinales, qui duobus vix mensibus in dignitate sua exactis, obierunt: summos electos Pontifices, & vix mense vno sedisse. Vidi alios duxisse vxores charas, formatas, diuites, virtute præditas: ita vt nihil in ijs posset desiderari, & ne septimana vna cum ijs superuixisse. Huiusmodi exempla plurima in historijs præteritorum temporum nobis commemorantur: sed & idem docet nos quotidiana experientia.

At concedamus vitam tuam debere longiorem esse vita aliorum: demus tibi centum annos (vt ait Chrysostomus) vt quæ ferè est longissima: sed addamus alios centum, inde ducentos alios adiungamus, quid tot anni, si cum æternitate conferantur? *Si multis annis vixerit homo*, inquit Salomon, *& in his omnibus latatus fuerit, meminisse debet tenebrarum temporis, & dierum multorum, qui cum venerint vanitatis arguentur præterita.* In conspectu enim æternitatis omnis felicitas, quantumuis magna fuerit & diuturna, vanitas esse videbitur, & erit. Hoc fatentur mali ipsi in libro Sapientie, vbi dicunt, *Et nos nati continuo defimus esse.* Considera itaque quam brevis videbitur tunc malis omne tempus huius vitæ: re etenim ipsa existimabunt illic, se vix diem vnum hic vixisse, & quod statim à ventre matris ad tumultum sunt translati. Ex hoc abundè satis liquet, omnes delectationes, omnemque mundi felicitatem ipsis fore quasi delectationum vmbra, & quas in somnis videntur, nec verè tales fuerunt. Id per pulchrè docet Esaias, cum dicit, *Et sicut somniat, esuriens, & comedit: cū autem fuerit ex- pergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat, siti- ens, & bibit, & postquā fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & vacua est anima eius: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicant contra montem Sion.* quarum prosperitas omnis tam brevis erit, vt postquam aperuerint oculos, & viderint breue illud tempus, agnoscent omnem suam felicitatem nil nisi somnium fuisse. Dic mihi quæso, quæ maior in hoc seculo gloria, quam Principum & Imperatorum, qui præstant huic mundo? *Vbi sunt*, inquit Propheta, *Principes Gentium & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in anibus calis ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? Vbi sunt qui argentum fabricant, & solliciti sunt, nec est inuentio operum eorum? Vbi sunt exterminati sunt ex palatijs suis, & ad inferos descenderunt, & alij loco illorum excurrerunt.* Vbi est sapiens? vbi studiosus? vbi diligens nature inuestigator? Vbi est gloria Salomonis? potentia Alexandri? vbi magnificus Affuerus? Vbi sunt celeberrimi Romanorum Cæsares? vbi alij Principes & Reges terræ? Quid illis profui-

omnis vana gloria? potentia mundi? famulorum multitudos exercituum frequentia? varij ministri, sursus & moriones? copia perniciorum adularum, qui stare solebāt in circuitu? Omnia hæc vmbra sunt: omnia somnus; omnis ea felicitas vt fumus euanuit. Ecce itaq; mi frater, quæ brevis est huius mundi felicitas.

De magnis miserijs, quæ a felicitate mundana admixta sunt.

H Abet præterea mundi huius felicitas aliud (præterquam quod brevis est) admixtum malum, quod mille miseriarum genera, tanquam comites habeat; quæ in hac vita (aut vt melius dicam) in hac lachrymarum valle, in hoc misero exilio, & in hoc mari inquieto nequeunt evitari. Etenim plures sunt miseriæ, quam dies hominū, aut horæ vitæ: omnis enim dies suum malum, & omnis hora suam habet miseriam. Sed quæ lingua sufficienter explicare poterit omnes has miserijs? quis poterit enumerare omnes corporis nostri infirmitates? omnes animæ passionis? omnes hominum iniurias, & aduersitates huius vitæ? Vnus tibi litem intendit propter diuitias, alius vitæ tuæ insidiatur, tertius famam lædit, quidam odio inuidiaque te persequuntur; sunt qui vindictæ cupiditate, falsis testimonijs, aut armis te oppugnent, denique qui lingua (quæ armis peior est & magis noxia) tibi bellum mouent. Sunt & præter omnes istas calamitates aliæ infinitæ, quibus certa nomina non sunt imposita: sunt enim casus inopinati. Vnus amittit oculum, alteri in conflictu amputatur brachium, tertius decedit ex equo, quartus ex fenestra; quidam in aquis suffocatur; est qui casu aliud incidit infortunium. Si plura mala scire desideres, interroga homines huius mundi, & plurima tibi de fragmentis voluptatum & miseriarum suarum (quarum maxima pars est) narrabunt quæ in seculo hoc experti sunt. Etenim si omnia & lata & tristia in bilance reponerentur, videres perspicuè hæc illis multo fore maiora: & cognosceres, quod pro vna hora voluptatis haberes centum miseriarum. Quare si omnis vita tua tam sit brevis per se, & maior illius pars tot miserijs sit permixta, quæso quantum est in vita tua, quod pura & vera sibi vendicat felicitas?

Ceterum miseriæ à me modò enumeratæ, tam bonis, quam malis communes sunt: vtrique enim in vno eodemque nauigant pelagio, & eisdem subiecti sunt tempestatibus. Inueniuntur autem & aliæ calamitates, quæ propriæ sunt malorum, (sunt enim iniquitatum filia) quarum cognitio magis ad nostrum pertinet propositum, faciunt enim horum vitam magis abominabilem, quæ tantis miserijs est obnoxia. Quales autem, & quot illæ sint, peccatores ipsi fatentur in libro Sapientie: *Lassus sum in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* Itaque vt boni in hac vita paradysum habent, & in alia vita sperant alium, ita mali in hac vita habent infernum, & alius illos expectat in altera: ex inferno siquidem male conscientia, pergunt in infernum pœnæ sempiterna. Huiusmodi mala ex multis causis oriuntur. Quædam ex Deo sunt, qui, vt iustus Iudex, non patitur malum culpæ fieri sine malo pœnæ: quæ est generaliter seruatur vsque in alteram vitam, sæpe tamen in hac incipit. Certissimum enim est, Deum, vt generali prouidentia mundum regit, ita quoque singulos speciali prouidentia moderari: & quemadmodum cernimus quotidie, quo maior est peccatorum copia, eo maiorem esse pœnarum frequentiam, vt sunt famēs, bellum, pestilentia, hæreses, similesque calamitates, sic etiam sæpe iuxta numerum peccatorum hominis, numerus est suppliciorum, propterea Deus dicebat ad Cain: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatorum aderit?* hoc est, pœna & supplicium peccati

Quæ insunt in hoc mundo mala.

Nulla mundi felicitas diuturna.

Ecclesi. 8.

Sap. 5.

Esa. 29.

Baruch 3.

Miseria quam bonis & malis communes quædam malis propriæ

Sap. 57.

Mala ex Deo

Gen. 4. 7.

Deut. 7. 9.

peccati in Deuteronomio quoque; Moyses ait ad populum: *Et scies quoniam Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt precepta eius in mille generationes: & reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, & ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.* Animaduerte hic quoties repetat hic Propheta verbum *statim* aut eius significationem, ut intelligas præter supplicia, quæ futura vitæ referuntur, etiam malos in hac vitâ sæpe puniri, cum Scriptura hic toties repetat eorum penas non differendas. Ex quo multa procedunt calamitates, & plurima flagella peccatorum: sine intermissione enim tanquam rota voluuntur de vna molestia in aliam, de vna necessitate, anxietate & tribulatione in aliam, quas est optime sentiant, tamen vnde & à quo imminantur ignorant, atque proinde potius naturæ conditioni, quam peccatis suis adscribunt. Quemadmodum enim naturæ bona non æstimant tanquam Dei beneficia, nec pro illis Deo gratias agunt: ita non agnoscunt iræ illius flagella pro pœnis suorum peccatorum, nec sese emendant. Quædam etiam supplicia ab ipsis Dei Vicariis, qui sunt diuinæ iustitiæ ministri immittuntur, quæ sæpe malefactoribus occurrunt, persequuntur & affligunt eos, carceribus, exiliis, multis, persecutionibus, alijsque multis penarum generibus, quibus agunt, ut peccatorum insatiabilis appetitus amarus esse videatur, & affligunt eos etiam in hac vitâ. Sunt & aliæ afflictiones, quæ ex ipsis fluunt eorum passionibus, seu animi perturbationibus & appetitibus cordis inordinatis, quid enim quæso boni potest sperari ex afflictione nimia? ex vano timore? ex dubia spe? & ex desiderio inordinato? nihil nisi offensa, tædia & tribulationes, quæ pacem & libertatem cordis inturbant, de quo superius actum est, vitam faciunt inquietam, ad peccata sollicitant, orationes impediunt, somnum tollunt, & omnes vitæ dies fastidio tædioque aspergunt. Omnes istæ miseriæ generantur ab ipso homine, hoc est, ab inordinatis eius appetitibus atque ex ipsis vides, quid expectandum sit ab alijs, cum homo hæc habeat à semetipso, & perpende quam poterit hic pacem habere cum alijs, cui tantum bellum est cum seipso.

De multis laqueis & periculis huius mundi.

Psalm. 10. 9.

SI in mundo præter pœnas & afflictiones corporis, aliud malum non inueniretur, non tantopere metuendus esset: sed non tantum in eo mala corporis sunt, verum etiam animæ maxima pericula, quorum maior habenda est ratio, quia potioris hominis partem contingunt, & magis lædunt. Ea autem tot sunt, ut Propheta dicat: *Pluit Deus super peccatores laqueos.* Quantum quæso laqueorum numerus est in mundo, qui guttis aquarum, quæ de cælo cadunt, comparatur? dicit autem specialiter *super peccatores*: Illi enim cum tam exiguum cordis & sensuum suorum habeant curam, minorem quoque peccatorum occasionem fugiendarum, & tam exiguum spiritalium remedium sollicitudinem, & præter hæc omnia, cum per ardorem huius mundi ambulent, quomodo fieri potest, ut non inter mille gradientur pericula? Dicit pluisse laqueos super peccatores: laqueos in iuuentute, laqueos in fenestris, in diuitijs, in paupertate, in honoribus, in opprobrijs, in amicitijs, laqueos in societatibus hominum, & in solitudinibus, laqueos in prosperis & in aduersis, laqueos denique in omnibus hominis sensibus, quæ tot sunt, ut Propheta clamet: *Laqueos super habitantes terra.* Et sanè, si Dominus oculos tuos modicum aperiret, uti olim oculos B. Antonij aperuit, videres totum mundum plenum laqueis sese mutuo contingentibus, & exclamares cum eo, dicens: O Domine, quis omnes laqueos istos euadet? Hinc est quod

Hier. 48. 43.

Athan. in vita D. Antonij.

tot animæ pereant quotidie, ita ut B. Bernardus non vereatur dicere, ex decem natiuitatibus, quæ in mari sunt, vix vnâ perire; & ex decem animabus, quæ in mari huius sæculi fluctuant, vix vnâ saluari. Dicigitur sodes, qui sit ut mundum tam periculosum non metuas, ut non studeas tot laqueos euitare? quis inter tot serpentes audebit ire nudis pedibus? inter tot hostes inermis? inter tot peccatorum occasiones secturus & inconsideratus? inter tot denique lethales morbos sine medicina? Quis non laborabit de hac Ægypto exire? quis ex hac Babylonia non fugiet? quis non appetet ab igne Sodomitico & Gommorraeo liberari? Cum itaque mundus tot laqueis sit resperisus, tot occurrant & vbique obuia sint precipitia, & flammæ vitiorum ita nos vrat, quis vnquam erit securus? Bene itaque Sapiens: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ eius? Qui tetigerit picem, inquit alius, inquinabitur ab ea & qui communicauerit superbo, induet superbiam.*

Gen. 25.

Prover. 6. 27.

Eccl. 13. 1.

De cecitate, & tenebris huius mundi.

Hic laqueorum & periculorum multitudinem accedit alia miseria, quæ facit illa multo maiora cecitas nimirum, & mundanæ tenebræ, quæ conuenientissimè adumbrantur per tenebras illas Ægyptiacas, quæ tam densæ fuerunt, ut manibus palpari possent, & toto illo triduo, quo durârunt, nullus se loco mouebat, nec proximum vidit, qui illi afflabat. Verè tales, & quidem maiores sunt tenebræ in quibus nunc mundus sedet, aut quæ mundum nunc occupant. Quod si mihi non credas, age percurramus non nihil eius cecitatem & ataxiam. Dic mihi quæso, quid cæcius quàm credere homines, quod credunt, & viuere quomodo viuunt? Quæ maior cecitas, quam homines adeo reuereri, & Deum tam nequiter contemnere? tam anxie commoditatibus corporis, quod nihil aliud quam brutum animal est, studere, & animæ, quæ imago diuinæ Maiestatis est, curam nullam habere? Quæ maior cecitas, quam, cum certo certius sciamus, nos morituros, nec ignoremus in illa hora de nostra felicitate, aut infelicitate determinatum iri, quod in æternum ratum habebitur, viuamus tam negligenter & securè, non aliter quàm si semper viueremus? non enim aliter viuunt peccatores hodie, cras morituri, quâsi certi essent se perpetuò victuros. Quæ maior cecitas posset excogitari illa, quod homines pro desiderio vnius appetitus vniuersam hereditatem cæli sponte perdant? tanti facere diuitias, & tantæ parui conscientiam? velle ut omnia tua exteriora bona salua sint & ordinata, & nolle vitam tuam integram esse ordinatam?

Cecitates hominum.

Act. 9.

De multitudine peccatorum, quæ sunt in hoc mundo.

SI in mundo tot sunt laquei, & tantæ tenebræ, quid sex eo sperandum, nisi lapsus & peccata? Peccatum autem omnium huius mundi malorum maximum est, deberetque merito efficacissimum esse incentiuum cur mundum relinquantur. Hac solâ consideratione gloriosus ille Martyr Cyprianus amicum quandam suum ad mundi contemptum inuitare conatus est, fingens cum in motis apud verticem cel-

Vide Cyprian. lib. 2. epistol. 2.

sorem

florem subductum, speculari inde rerum infra se iacentium facies, & oculis in diuersa porrectis, B. Martyr illi ostendit omnia maria, terras, palatia, tribunalia, plena esse mille peccatorum & iniuriarum generibus, quæ omni in loco fiunt; vt cum oculis suis vidisset tot, & tam magna mala, quæ sunt in mundo, sciret quantopere ab illo abhorreere deberet, & qualis esset debitor ipsius Dei, qui illum in mundo eripuerat.

Itaque & tu, mi frater, in fastigium huius montis ascende: oculis in diuersas plagas volue, & fluctuantis mundi turbines intue. Ingredere oculis tuis principum palatia, tribunalia & tabernas huius mundi, vbi debis ibi tot genera peccatorum, tot mendacia, tot calumnias, imposturas, iniurias, furta, inuidias, adulationes, vanitates, & quod maius est tantam Dei obliuionem, & tam exiguum propriæ salutis curam, vt non possis non maximopere admirari, & quasi obstupescere tanta mala conspiciendo. Videbis maiorem hominum partem bestiarum more viuere, passionum suarum impetum sequentes, nullo habito respectu vel iustitiæ, vel legis diuinæ, vel naturæ, seu rationis: turpius viuentes ipsis Ethnicis, qui nullam habent veri Dei cognitionem, ne cogitant quicquam amplius superesse quam nasci & mori. Videbis innocentes male mulctari, nocentes impune peccare; bonos contemni, malos honorari, videbis patipere affligi & in omnibus fauorem æquitati & virtuti præferri. Videbis iura vendi, & veritatis rationem non haberi, pudorem exterminatum, artes infectas, officia peruersa, & omnes hominum status corruptos. Videbis multos homines impuros maximis supplicijs dignos, qui furtis & imposturis magnas diuitias sibi comparant, laudari & metu ab omnibus. Videbis denique mundum denarium plus quam Deum colere atque adorare. Et cum omnia perlustrasti, fateberis euertigio iustissime dictum à Psalmista: *Dominus de celo prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt simul inuiles facti sunt, non est qui faciat bonum non est usque ad vnum.* Non minus deplorat hominum statum Oseas, *Iudicium, inquit, Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terrâ. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium mundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.*

Vt autem perspicue magis cernas, quæ mundi sit conditio, intue caput, quod illum moderatur intue illius gubernatorem, & intelliges qualis erit conditio illius, qui gubernatur. Etenim si verum sit principem huius mundi, hoc est, peccatorum esse Diabolum, (quod & Christus ipse affirmat) quid expectandum à corpore, quod tale habet caput, & à Republ. cuius talis est rector? Vnum hoc sufficit ad intelligendum, quid mundi amatoribus expectandum est. Quid multis? ecquid aliud mundus est, quam spelunca latronum, exercitus prædonum, stabulum porcorum, tritremis plena piratis, lacus serpentum & regulorum? Si mundus talis sit, quare non derelinquo locum tam obscenum & impurum, (ait quidam Philosophus) locum tam plenum traditionibus, fallacijs, in quo vix inuenitur pietas, fidelitas, aut iustitia? in quo regnant omnia vitia, vbi frater fratri insidiatur, vbi filius patris mortem desiderat, vbi vxor mortem sui mariti, maritusque vicissim vxoris appetit; vbi denique nihil dominatur præter flammam gulæ, inuidiæ, iræ, luxuriæ, ambitionis, aliorumque malorum? Quis non optet talem mundum fugere? Dubium non est quin hoc optauerit Propheta, qui dicebat: *Quis dabit me in solitudine diuersorum viatorum, & derelinquam populum meum, & recedam ab eis: qui omnes adulteri sunt, & catus prauaricatorum.*

Quicquid hactenus dictum est, generaliter perti-

net ad malos: licet negari non possit, quin in singulis mundi statibus multi boni sint, propter quos Deus eum sustentat. Cum itaque omnia hæc perspexeris, perpende tecum quam iustam habeas rationem, rem tam impiam, peruersam & abominabilem fugiendi, in qua, si Deus oculos tuos plane illuminaret, plures videres Dæmones, & peccata plura, quam atomos, qui in solaribus radijs volitare conspiciuntur. Faciet autem hæc consideratio, vt crescat in te desiderium mundi (saltem spiritu) fugiendi, vt suspires cum Propheta, & dicas, *Quis mihi dabit pennas sicut columba, & Psalm. 54, 7. volabo, & requiescam?*

Quam fallax sit mundi felicitas.

Hæc aliaque infinita sunt felicitatis mundanæ tributa, & quasi æquipondia, quibus cum libra tur, & tanquam in diuidui socij, qui illam committantur: vt videas plus in ea esse mellis quam mellis, & plus absynthij quam saccari. Omitto adhuc alia mala quamplurima, quæ amatoribus suis occultat: Nam præterquam quod brevis sit illa misera felicitas, etiam impura est & immunda, facit enim hominem carnalem & impurum: est & bestialis; similem enim hominem bestiis facit: & amens; nam tollit hominis iudicium. denique fallax & infida; quia optimo tempore deficit, & hominem derelinquit. Vnum tamen adhuc malum eius exponere non grauabor, quod forte omnium est pessimum, fallacem nimirum illam esse, & fraudulentam. Videtur enim esse quod non est, promittit quod non dat, & non obstantibus his maiorem populi partem ad se trahit. Quemadmodum enim inuenitur aurum verum, & aurum falsum gemæ veræ, & fictitiæ, quæ apparent pretiosæ, & non sunt: ita inuenitur bona vera, & bona falsa, felicitas vera, & falsa, quæ quid talis apparet, sed non est: talis est illa mundi huius, quæ apparenti sua larua, fucataque sua facie nos decipit. Nā, vt Aristoteles dicit, occurrunt subinde mendaciæ, quæ licet mendaciæ sint, maiorem tamen habent veritatis apparentiam, quam ipsa veritas, ita profecto (res est obseruatu digna) reperiuntur quadam mala, quæ licet vera mala sint, maiorem tamen habent bonorum apparentiam, quæ ipsa bona. Ex horum numero est felicitas mundi: & ob hoc ignorantes eius specie decipiuntur, non aliter atque aues piscesque subdola falluntur eca. Ea enim est conditio rerum corporalium, quod continuo læta facie, & blando vultu se nobis offerunt, promittentes gaudium & felicitatem: sed postquam ipsa rerum experientia nobis fraudem deregit, statim sentimus hamum sub eca latentem, & aperte videmus non totum fuisse aurum, quod splendebat. Sic experientia deprehendes in omnibus rebus mundi euenire. Sin minus, contemplare recens matrimonio iunctorum voluptates, & inuenies quomodo post primos connubij dies elapsos statim ipsis dies illa felicitatis eorum incipiat inclinare, & ingruere nox obscura curarum, sollicitudinum, & anxietatum, quæ deinde superueniunt. Mox enim sequuntur ærumna ex filijs, ex morbis, ex absentijs, ex zelotypia, ex litibus & contentionibus, ex abortionibus, ex rerum amissionibus, ex doloribus, denique ex morte necessaria alterutritus, quæ interdum valde intempestiue præuenit, & gaudia sponsaliorum necdum consummatorum in lachrymas perpetuæ viduitatis & solitudinis conuertit. Quæ igitur maior impostura, quæ hypocrisis intolerabilior, quam hæc? Quam gaudens pergit virgo ad ædes sui sponsi, non enim oculos habet, vt videat aliud, quam quod foris apparet: sed si videre posset sementem miseriarum, quæ illi die isto seminatur, haberet sanè iustiorum causam flendi, quam gaudendi. Rebecca desiderabat parere filios, cum autem gravidafacta esset, & colliceretur in utero eius parvulus, dixit: *Si sic mihi futurum erit, quid necesse fuit me con-*

spere?

Psalm. 13, 20.

Os. 4, 1.

Isa. 14.

Isa. 9, 2.

Gen. 25, 22.

perere? O quoties similis dolus & fraus homines contristat, postquam illud habent, quod desiderabant, cum in progressu ea sese offerant, quæ in principio non promittebantur?

Sed quid dicam de officiis, dignitatibus & honoribus? quam blando primum videtur aspectu? sed quot confestim passionibus, curis, inuidijs & laboribus sunt obnoxia, quæ sese post amabilem illum vultum mox produnt? De illis autem, qui in honestis amoribus plane illaqueati sunt, non immerito dicere possumus, quod initio quidem placidum cæci illius Labryinthi aditum inueniunt: cum autem ingressi sunt, heu quod labores & molestie ferendæ sunt? quot noctes insomnes ducunt? quot & quanta coguntur adire pericula? furor enim venenosi Draconis (qui est crudelis parentis gladius, aut mariti zelotypi) custodit semper fructum illum arboris interdicit, & non raro cõtingit, ut huiusmodi in vno momento vitam, diuitias, honorem, animamque simul amittant.

Simili modo & vitam auarorum, mundo seruientium, & inanem gloriam armis, fauoribus, alijsque modis captantium, non esset difficile examinare, & in omnium horum tragedijs non lætam protasin, sed luctuosam inueniremus epitasin: ea est enim natura calicis illius Babylonici, qui quidem foris est delectatus, intus verò plenus veneno. His ita se habentibus, quid quæso tuo iudicio est huius mundi gloria, nisi Sirenium cantus dulcis, sed venenata potio? vipera, foris quidem artificiosè depicta, sed intus lethali toxico referta? Si mundus tibi blandiatur, hoc facit, ut te fallat; si te exaltet, hoc facit, ut te ex alto deiciat; si te exhilaret, hoc facit, ut paulò post te magis affligat. Dat omnia sua bona cum admixto incomparabili dolore, & maxima vltura. Si tibi nascatur filius, & paulò post moriatur, septies maior erit iste dolor, quàm antè fuit læticia. Magis nos vrit res amissa, quàm exhilarat inuenta, vel quaesita: magis affligit morbus, quàm lætificat sanitas; magis cruciat iniuria, quàm placet honor: Adeo ut prorsus ignorem, cur ita natura comparatum sit, ut magis affligant mala, quàm exhilarent bona. Hæc omnia bene considerata luce meridiana clarius ostendunt, quàm vana & fallax sit mundi felicitas.

Conclusio omnium supradictorum.

Vidisti mi frater, hic veram mundi figuram, est aliæ facie quam foris apparet, ecce itaque nunc, qualis sit eius felicitas, brevis, misera, periculosa, cæca, plena peccatis, & fallax, atque iuxta hæc, quid aliud est mundus, nisi (ut quidam Philosophus dicere solebat) scrinium dolorum & molestiarum, schola vanitatis, forum imposturarum, Labyrinthus errorum, carcer tenebrarum, via infesta prædonibus, lacuna plena luto, & mare quod à tempestatibus assidue mouetur? Quid aliud est mundus, nisi terra sterilis, ager tribulis lappisque confectus, sylua spinis plena, hortus floridus, sed nullum producens fructum? Quid mundus, nisi flumen lachrymarum, fons solitudinum, dulce venenum, tragedia lepidè composita & phrenesis delectabilis? Quæ quæso bona in mundo reperiuntur, quæ falsa non sunt? & quæ mala, quæ non sunt vera? Eius requies habet laborem; eius securitas est sine fundamento, eius metus non habet causam, eius labores sunt absque fructu, eius lachrymæ sine proposito, & proposita sine successu, spes eius vana, gaudium fictum, & dolor eius verus est. Ex quibus omnibus non difficile est videre, quanta inter mundum & infernum est cognatio: infernus enim non est aliud quam locus poenarum & peccatorum, & quid aliud in hoc mundo spectatur? Testatur hoc Propheta cum dicit: *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia.* Hi fructus mundi sunt, hæc merces, hæc eius negotiatio est, quæ

Granat. Opusc. spirit.

omni tempore & in omni loco exercetur, ita ut vides mundum optime infernum appellari posse. Eo loco mundum hunc habuit B. Bernardus, cum diceret: Quod si spes nobis in hac vita non esset relicta, quam de vita futura concepimus; non multum hic mundus ab inferno distaret.

Quod vera quies, & tranquillitas in solo Deo inueniatur.

Postquam hætenus expositum à nobis sit, quam misera & fallax sit huius mundi felicitas, restat nunc ut ostendamus veram felicitatem & tranquillitatem, uti in mundo non inueniuntur, ita in solo Deo inueniri: quæ demonstratio si ab hominibus huius mundi rectè intelligeretur, non ita anxij essent mundi sectatores, quales multi reperiuntur. Et proinde operæ pretium me facturum existimo, si manifestam hanc veritatem præcedentibus subiecero, eamque non tam auctoritate & testimonijs fidei, quàm rationibus stabiliuero. Sciendum itaque ante omnia, nullam creaturam perfectè posse quiescere, quamdiu ad vltimum suum finem (quæ vltimus illius est secundum naturam conueniens perfectio) non peruenit. Quamdiu enim eo nondum peruenit, necessariò debet esse inquietus, tanquam ea, quæ ob defectum aliquem vim patitur.

Quæris itaque quis sit vltimus hominis finis, in cuius manu posita est eius felicitas? quid est illud quod Theologi vocant beatitudinem obiectivam? Negare non possum, quin Deus sit, qui quemadmodum est hominis primum principium? ita est & vltimus eius finis. Quemadmodum autem fieri non potest, ut duo sint prima principia, ita est impossibile ut duo sint vltimi fines. Hoc enim esset duos constituere Deos. Porro si Deus sit vltimus finis hominis, est & vltima eius beatitudo, impossibile autem est duos esse vltimos fines, aut duas beatitudines, fieri itaque non potest, ut extra Deum inueniatur aliqua beatitudo. Si-

Beatitudo obiectiva.

Simile.

cut enim chirotheca fit in vltimam manus, & vagina ut in eam condatur gladius: ita etiam cor humanum creatum est in vltimum Dei; nec extra illum aliquam potest inuenire requiem. Ratio est, quia cum principale subiectum beatitudinis sit in intellectu & voluntate humana, quamdiu duæ istæ potentie quæ non sunt, nec homo potest quiescere. Quia verò extra contrarietatem sit duæ istas potentias aliquo modo quiescere esse non posse, nisi in solo Deo, ut B. Thomas dicit, etiam duæ illæ potentie nunquam quiescunt, donec inueniunt obiectum aliquod vniuersale, in quo sunt omnia bona. Quod cum semel cognitum est & amatum, iam nihil est amplius quod cupiat intellectus cognoscere, cor hominis aut voluntas amare. Hinc est, ut nulla res creata, nec totius Vniuersi esset imperium, queat cor humanum satiare, vno illo excepto, ad quod creatus est, solo scilicet Deo. Refert Plutarchus de quodam milite, qui per multos dignitatum gradus tandem factus est Imperator. Is cum iam in tanto versaretur honore, & quietem quam sibi antea in hoc statu pollicebatur, non inueniret, dixit: Omnes omnium dignitatum gradus percurri, & in nullo quietem inueni. Nec mirum, quia quod pro Deo creatum est, extra illum non potest quietem inuenire. Ut autem id manifestius intelligas, intue acum nauticam, & eare docebit hanc tam necessariam philosophiam. Natura ferri illius est, ut qua parte magnetem tetigerit, semper Aquilonem respiciat: Deus enim qui lapidem hunc creauit, eam illi indidit naturalem inclinationem. Vides, ipsa rei experientia te docente, quomodo acus illa currit, recurrit, & in omnem plagam summa cum inquietudine se vertit, donec polum inueniat, quo facto quiescit & stat immobilis, non aliter atque clauis esset connixa. Ita Deus creauit hominem, illique insidit naturalem quandam propensionem, ut semper ad auctorem suum tanquam

Natura acum nautica.

quam ad polum & vltimum finem suum respiciat. Id-
eoque quamdiu extra illum est, instar illius acus in-
quietus est, etiam si totius mundi esset dominus: Con-
uertens autem & dirigens cor in Deum, statim quie-
scit, & uti acus illa stat immobilis, in illo enim
quietem inuenit. Ex hoc sequitur, solum illum beatum
esse, qui Deum possidet, & illum magis ad beatitudi-
nem accedere, qui minus longe à Deo recedit. Quia
verò iusti in hac vita Deo sunt viciniore, ideo sunt &
beatiores, licet mundus illorum beatitudinem non
cognoscat. Ratio est, quia beatitudo hæc non consistit
in sensibili & corporali voluptate, ut dicebant Epicu-
rei, & post eos Mauri seu Mahometani, post Maho-
metanos verò mali Christiani, qui ore quidem negant
legem Mahometi, vita verò sectantur, & diligenter
obseruant, nec alium Paradisum in hac vita quarunt,
quam illum Saracenicum. Non ergo consistit vera bea-
tutudo aut in corpore, aut in bonis externis, sed in
spiritu, & bonis spiritualibus, inuisibilibusque, ut syn-
cerioris iudicii Philosophi, & boni Christiani (licet
diuerso modo) sustinent, & affirmant. Idem signifi-
care voluit Propheta, cum diceret: *Omnia gloria eius filia*
regis ab intus, in sinibus aureis circumamicta varietati-
bilibus, in qua tantam illa pacem & quietem habet, quã-
tam nunquam habuerunt aut habebunt vniuersi Re-
ges terrarum: nisi voluerimus dicere Principes mundi ma-
giorem habere quietem, quam amici Dei: quod præter-
quam quod falsum est, etiam multi Principum nega-
runt, qui delibata Dei suauitate dignitates & diuitias
reliquerunt, inter quos vnus fuit B. Gregorius, qui v-
trunque probauit: is cum vi Pontifex creatus esset,
noctes atque dies plorabat ob angustam & pauperem
cellam, quam in monasterio suo reliquerat, non aliter
atque is faceret desiderio patriæ & libertatis, qui in
seruitute esset.

Plal 44, 14

B. Gregor.
plorat amf-
sim pauper-
tatem.
epist ad Nar-
sum &
S. Aug. epist.
148.

Probantur quæ dicta sunt, exemplis.

Sed cum error & fallacia hæc tam ingens sit & v-
niuersalis, aliã adtingam rationem non minus ef-
ficacem priore, ex qua mundi huius amatores fa-
cile poterunt intelligere, quam impossibile sit in eo
felicitatem, quam appetunt illi, inuenire. Debes itaque
præsupponere multo plura requiri, ut res aliqua sit
perfecta, quam ut sit imperfecta. Ut enim res aliqua
sit perfecta omnes simul requiruntur eius perfectio-
nes: sed ut imperfecta sit, vna sola sufficit imperfectio.
His præsuppositis, hoc modo procede; Ut aliquis ha-
beat perfectam felicitatem requiritur, ut omnia simul
habeat ex animi sui sententia: & si vnum solum quid
ad mixtum sit, quod non placet: id erit sufficiens, ut
homo & sit, & dici posset miser, etiam si omnia cete-
ra beatum faciant. Vidi multos in amplissimis digni-
tibus constitutos, quibus proventus annui erant o-
pulentissimi, qui tamen semper in tristitia vivebant,
multo enim maior erat cruciatus, quem ex eo conce-
perant, quia vnum aliquid quod appetebant habere
non poterant, quam gaudium, quod ex omnibus alijs
percipiebant. Etenim dubium non est, quin omne id
quod possident, non tam exhilarat, quam vnus solus
appetitus denegatus affligit, eo quod hominem non
faciat quietum multa possidere, sed voluntatem sati-
asse. Quod inter alios D. Augustinus pulcherrimè de-
clarat in libro de moribus Ecclesiæ, his verbis: Beatus
autem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui
non habet quod amat, qualecunque sit, neque qui ha-
bet, quod amat, si noxium sit: neque qui non amat,
quod habet, etiam si optimum sit. Nam & qui appetit
quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est,
quod appetendum non est, fallitur: & qui non appe-
tit, quod adipiscendum esset, agrotat. Ex quo infer-
tur, in sola possessione & amore summi boni nostram
consistere beatitudinē, nec aliã veram esse, extra illã.
Ita ut tria illa, possessio, amor, & summum bonum,

Aug de Mo-
ribus Eccl.
lib. 1, c. 3.

hominem faciant beatum, sine quibus nemo vnquam
erit beatus quicunque ille sit.

Huius conclusionis etsi plurima possem in medi-
um adferre exempla, quæ illam confirmant, tamen
faciemus, ut vnus ille dilectus Assuero Regi Aman
sufficiat: is enim cum in omnibus iuxta mundi opi-
nionem beatus esset, magnam sibi iniuriam irrogari
putabat, eo quod Mardocheus illi transeunti non af-
furgeret. Quare conuocatis amicis suis & vxore, ex-
posuit eis magnitudinem diuitiarum suarum, filio-
rumque turbam; & quanta cum gloria super omnes
Principes & seruos suos Rex eleuasset. *Registra quoque*
Hesher, inquit, nullum alium vocauit ad conuiuium cum
Rege præter me: apud quam etiam eras cum Rege pran-
surus sum. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere
pauis, quamdiu video Mardocheum Iudeum seden-
tem ante fores regis, non exhibentem mihi, quam vo-
lo reuerentiam. Animaduerte itaque hoc loco & vi-
debis vnum illud exigui plus potuisse cor illius per-
turbare, quam omnis prospera reliqua potuere beatu
facere. Considera quoque quam longe absit homo in
hac vita ab illa mentis tranquillitate, & quam vicinus
perturbationi. Quis igitur inuenitur in hoc mundo,
qui potest id efficere, ut non sit miser? Qui Reges, qui
Imperatores inueniuntur, quibus omnia ex voto suc-
cedunt, & quibus non aliqua res occurrit, quæ animos
eorum facit inquietos? Nam etsi ex parte hominum om-
nis absit aduersitas, quis potest fortunæ casus, quis in-
firmitates corporis, omnes metus & fantasias vel van-
as imaginationes animæ, quas homo sepe meruit si-
ne timore, & sic affligitur sine causa, subterfugere?

Nemo in hu-
mundo Eia-
tati.

Si prædictæ rationes omnes tam euidentes te non
conuincant, & ab ipsa experientia plures inquiras,
potius quam à ratione, vade ad sapientissimum illum
Salomonem, atque ille, tanquam qui in mari hoc diu
nauigauit, maiori quam vllus alius cum prosperitate,
probans, & detegens omnia magnificentiarum & vo-
luptatum huius mundi genera: ille, inquam, te in hoc
negotio fideliter instruet, quid vidit, quid expertus
est, dicet, & si quid alibi forte inuenierit, quod appe-
titum eius satiauit, si interrogaueris respondebit di-
cens: *Panitas vanitatum, dixit Ecclesiastes Panitas va-*
nitatum, & omnia vanitas. Ecce, non decipieris; viro
siquidem tam experto fidendum est. Non enim tibi
loquitur ex theoria, sed ex praxi; non ea quæ audiri
narrat, sed quæ vidit & probauit. Ne putes aut te, aut
alium quempiam posse detegere plures res nouas, &
antea non auditas, quam ille detexit, & expertus est.
Quis enim Princeps vnquam in mundo fuit aut sapi-
entior, aut ditior, aut gloriosior, aut celebrior Salo-
mone? Quis vnquam expertus est plura genera deli-
ciarum, ludorum, venationum, canticorum, muli-
erum, ornamentorum, equitatum, aliarumque rerum,
quam ille expertus est? Et cum omnia iam probasset,
non alium ex ijs fructum percepit, quam quem audi-
uisti. Cur tu probare vis quod iam probatum est? Ne
tibi persuadeas inuenire te posse, quod ille non inue-
nit, non enim alium mundum habes, quem poteris
perfructuari. Et si illa omnia sitim, quæ in illo Rege
erat, vindemia tam abundante relinguere non potu-
erint, nolli putare quod tu illam sedabis post illam
sterili racematione. Ille huic vni studio tempus om-
ne impendit, & fortassis ob hoc in idololatriam
lapsus est: ut dicit B. Hieronymus, scribens ad Eu-
stochium. Quare itaque tu pretiosi temporis iacturam
facere vis, sine vilius emolumenti expectatione? Imò
quia homines plus credunt experientia quam rati-
oni, forsitan Deus permisit, ut Rex iste, probaret om-
nia bona, deliciasque & recreationes, & quicquid
mundus admiratur probaret, ut postquam iam pro-
basset, testimonium de illis perhiberet, id quod mox au-
diuisti, & ut labor vnus omnium aliorum laborum

loci

Inco esset, atque vnus error multorum errori mē-
deretur, tempusque & sumptus vtilius expende-
rentur.

Conclusio totius libri primi.

EX omnibus itaque ijs, quæ toto hoc priori libro
fusiùs tractata sunt, id tandem colligitur: Om-
nia bonorum genera, quæ cor humanum in hac
vita potest adipisci, in Virtute inueniri: ex quibus
colligitur, Virtutem vniuersale bonum esse tam in-
gens, vt nec in cælo quicquam, nec in terra inueniatur;
quod cum illa potest cõparari, nisi vnus & solus Deus.
Quemadmodum enim Deus bonum est tam vniuer-
sale, vt in illo solo inueniantur perfectiones omnium
bonorum, ita quodammodo eadem in Virtute repe-
riuntur. Videnus enim inter res creatas, quasdam es-
se honestas, quasdam pulchras, nonnullas viles, alias
gratas, aut aliam quandam perfectionem habentes:
inter quas ea solet esse tanto perfectior & amore dig-
nior, quanto plius participat de illis perfectionibus.
Quod si ita sit, quanto amore digna virtus est, in qua
sola omnes istæ perfectiones inueniuntur? Etenim si
de honestate loquamur, quid honestius Virtute, que
fons est & radix omnis honestatis? si de honore, cui
maior debetur honor & reuerentia virtute? Si qua-
ramus pulchritudinem, quid pulchrius imagine Vir-
tutis? Si eius pulchritudo mortalibus oculis videri
posset, dicebat Plato, totum mundum ad se conuer-
tere. Si vtilitatem spectemus, quæ res vtilior & maiori
spe nixa virtute? per Virtutem enim summum bonũ
adipiscimur. *Longitudo dierum* & æternitatis bona
sunt in manu eius dextra, in sinistra verò diuitiæ & glo-
ria. Si iucunditate delecteris, quam maiorem delecta-
tionem posses optare, quam tranquillam & bonam
conscientiam, delicias charitatis, pacis, & libertatis
filiolorum Dei, vt interim taceam de consolatione Spi-
ritus sancti, quæ est incundissima. Si famam longæ
desideres: *Iustus uiuet, & erit in memoria æterna. & no-
men impij delebitur Deus in æternum.* Si sapientia studi-
osus sis, vt possis, inuenire viam, quæ ducit ad cælum,
& media ad finem hunc congruentia, non est medium
certius Virtute, quæ ducit ad Deum. Si petas esse gra-
tus, & apud omnes acceptus, non est quicquam grati-
us, & ad hoc conuenientius Virtute. Nam, vt Cicero
dicit, nihil est amabilius Virtute, nihil quod magis al-
liciat homines ad diligendum; quippe cum propter
virtutem & probitatem etiam eos quos nunquam vi-
dimus diligamus. Cuius ea vis est, (quod maius est) vt
in hoste diligamus. Quemadmodum ex conuenien-
tia & proportionem membrorum, humorumque cor-
poris naturalis quædam oritur pulchritudo, quæ oculis
hominum grata est, ita ex conuenientia & ordine
vitæ laudabiliter instituta, tam ingens procedit pul-
chritudo, vt non solum oculis Dei & Angelorum sit
acceptissima, sed & peruersis etiam hominibus & ho-
stibus sit amabilis. Illud est bonum, quod per omnia
bonum est, nec quicquam habet mali. Propterea me-
rito Deus honorificam illam legationem mittit ad iu-
stum, quam initio libri posuimus, & nunc in fine re-
petimus, *Dicite iusto quia bene.* Dicite quia natus est
sub felici sydere, & quod hora bona morietur, quod
benedicta est eius vita, & mors, & quicquid erit post
mortem. Dicite illi, quod omnia bene succedent, tam
prospera, quam aduersa, tam iucunda, quam tristia, in
quiete, & labore. *diligentibus enim Dominum omnia*
cooperantur in bonum. Dicite illi, etsi mundus sursum
deorsum vertatur, elementa confundantur, si cælum
turbetur; & ruat, ne timeat ille: imò vt leuet tunc ca-
put suum, quia adest dies eius redemptionis. *Dicite*
iusto quia bene: quia præparatum est illi bonum, quod
omnia bona sua vincit excellentia, Deus nimirum ip-
se; & quod liber est à malo quod omnium malorum
passimum est, scilicet tyrannide Dæmonis. *Dicite quia*
bene; scriptum enim est nomen eius in libro vitæ: &
Deus Pater illum in filium adoptauit: & Spiritus san-
ctus in templum viuam. *Dicite quia bene:* conditio

In virtute
omnes perfe-
ctiones inue-
niuntur.

Plato.

Prou. 3, 16.

Prou. 10.
Psal. 11.
Psal. 9.

Cicero in
Lælio.

Simile.

Virtus etiam
in hoste dili-
gitur.

Esa. 55, 10.

Rom. 8, 28.

Psal. 4, 3.

Prou. 3, 30.

Mundus
hypocrita.

Val. Max. li.
7, c. 2.

Psal. 4, 3.

Aug. lib. 4.
Contra. c. 10.

Granatens. Opusc. spiritual.

I 2

enim

enim quam nactus est, per omnia beata est. Et si aliquando in re aliqua temporalis minus beata videatur, si patienter hoc ferat, in maius bonum illi vertetur: qui enim patiens est, quod damnum videbatur, hoc illi sit lucrum, & labor sit meritum, & bellum victoria, perpetuaque corona. Quotiescunque Laban mutauit stipendium genero suo Iacob, putauit se sibi utilem fore, & genero noxium, sed modo semper accidit cōtrario: sibi enim inutilis fuit, & utilis genero. Eris igitur tu tibi ipsi tam crudelis, mi frater, & inimicus, ut cunctis tantum bonum amplecti, quod vndique tibi bona pollicetur? Quod consilium sanius? quam potes vtiliorem sequi conditionem? *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, ait Propheta: beati milles illi, & iterum beati, qui seruantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Si bonum, ut Philosophi dicunt, obiectum nostrę voluntatis sit, & quo quid magis bonum est, eò magis amari & desiderari mereatur: quid quāto sic insensibilem facit voluntatem tuam, ut non guster nec amplectatur hoc bonum vniuersale? O quāto melius faciebat Rex ille, qui dicebat. *Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus. Adhæsi testimonijs tuis Domine.* & alio loco: *In toto corde meo abscondi eloquia tua Domine:* non dicit in angulo, non in manu, sed in medio seu toto corde, quod est principium vitę, primus & optimus locus omnium aliorum: quasi dixisset. Hęc est optima pars meorum negotiorum, & cogitationes meę omnes in illa sunt. Contrarium faciunt homines huius mundi, principalem namque sedem cordis eorum occupat vanitas, & diutina lex in angulo quopiam iacet abstruso. Sed sanctus ille vir, licet Rex erat, & multis Regni negotijs impeditus; omnia tamen pedibus subiciebat, legem verò Domini in medio corde gerebat. Quid igitur impedit, quo minus & tu exemplū hoc optimū imiteris, & bonum adeò inges amplectaris? Nam si vinculū obligationis respicias, quę maior potest esse obligatio, quam quę est inter Deū & hominem, vel tantum ob id quia Est, qui est? Omnes enim obligationes mundi hoc nomine dignę non sunt, si cū hac conferantur, ut initio libri diximus. Si beneficia intuearis quę possunt esse maiora & præstantiora beneficia illis, quę de manu Domini accepimus? Præterquam enim quod ille nos creauit, & suo sanguine redemit, omne id quod intus & foris possidemus, corpus, animam, vitam, sanitatem, diuitias, gratiam (si modo illam habeamus) omnia momenta vitę, bona proposita, animę nostrę desideria, & omne id quod nomen habet essentię, vel boni, originaliter ab illo, qui fons est essentiarum & bonorum omnium, accepimus. Desunt verba, quibus vtilitatem eloquar: dicant illam Angeli, non homines. Quę enim maior potest esse vtilitas, quam accipere gloriam æternam, & à pœnis perpetuis liberari, quod præmium est Virtutis? Si nos moueant potius huius seculi commoda, quę possunt esse præstantiora bona, quam duodecim illa privilegia, quibus gaudent Virtus & Virtutis studiosi, quorum minimum efficacius est, ad inquietum animum sedandum, quam omnes mundi huius dignitates & thesauri. Nescio sanè quid amplius in balancem mitti posset, ad ponderanda illa, quę Virtuti, eiusque amatoribus promissa sunt.

Excusationes quoque, quas adducere solent ad suam defensionem homines huius mundi, ita sunt à nobis labefactę, ut non videam vbi tales rimulam elabendi posset inuenire, nisi fortè dedita opera claudant oculos & aures, ne videant & audiant manifestam hanc veritatem. Quid restat, nisi ut perspecta, cognitaque virtutis perfectione & pulchritudine, dicas cum Salomone, de Sapientia, comite & sorore Virtutis loquente: *Hanc amauit, & exquisiuit eam à iuuentute mea, & quęsi in sponsam mihi eam assumere & amator*

factus sum forma illius. Generositate illius glorificat, contubernum habens Dei, sed & omnium Dominus dilectis illam: doctrix enim est discipline Dei, & electrix operū illius. Et si diuina appetuntur in vita quid sapientia locupletius, quę operatur omnia? Si autem sensus operatur, quis horum quę sunt magis, quem illa, est artifex? Et si iustitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: Sobrietatem enim & sapientiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Et si similitudinem scientię desiderat quis: scit præterita, & de futuris æstimat: scit veritas sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum & seculorum. Proponit ergo hanc adducere mihi ad conuincendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & redemptio. Hactenus Sapiens.

Nihil itaque reliquum est, nisi ut materiam hanc concludamus verbis D. Cypriani, ex epistola quadam ad amicum suum de contemptu mundi scripta desumptis. Vna igitur, inquit, placida & fida tranquillitas: vna solida, & firma & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis seculi turbinationibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admissus, ac Deo suo mente iam proximus, quicquid apud ceteros in rebus humanis sublimē ac magnū videtur, intra suam iacere conscientiam gloriatur. Nihil appetere iam, nihil desiderare de seculo potest, qui seculo maior est. Quam stabilis, quam inconcussa tutela est, quam perennibus bonis affluens cæleste præsidium implicantis mundi laqueis solui, in lucem immortalitatis æternę de terrena face purgari. Viderit quę in nos prius instantis inimici pernicies insidiosa grassata sit. Plus amare compellimur, quod futurū sumus, dum & scire conceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretijs, aut ambitu, aut manu opus est, ut hominis summa vel dignitas vel potestas elaborata mole pariatur, sed gratuitum de Deo munus, & facile est. Ut spontē sol radiat, dies illuminat, fons irrigat, imber irrorat, ita se spiritus cælestis infundit. Postquam autem cælum intruens anima cognouit, solo altior & hac omni terrena potestate sublimior, id esse incipit, quod esse se credit. Tu tantum, quem iam spiritualibus castris cælestis militia signauit, tene incorruptam, tene sobriam religiosi virtutibus disciplinā, sit tibi vel oratio assidua, vel lectio: nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum: ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille diuitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria esse nulla iam poterit, cū semel pectus cælestis sagina saturauerit. Iam tibi auro distincta laquearia, & pretiosa marmoris crustis vestita domicilia sordebunt, cū scieris te excolendum magis, te potius ornandum, domum tibi hanc esse potiore, quam Dominus insedit templi vice, in qua Spiritus sanctus cepit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentię, illuminemus luce iustitię. Non hæc vnquam procumbet lapsus senio vetustatis, nec pigmento parietis, aut auro exolefcente fœdabitur. Caduca sunt quęcunque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quę possessionis non habent veritatem. Hęc manet cultu iugiter viuido, honore integro, splendore diuturno, aboleri non potest, nec extingui, potest tantum in melius corpore redeunte formari. Hactenus Cyprianus. Qui itaque motus rationibus & argumentis, quę latius tractauimus in hoc libro, (interueniente gratia & inspiratione diuina, sine quibus frustra sunt omnia) tā laudabile bonum virtutis cupit amplecti, legat sequentem librum, qui tradit methodum ad virtutem perueniendi.

FINIS LIBRI PRIMI
DVCIS peccatorum.

DVCIS

Gen. 31.

Psal. 118, 1.

Ibid. v. 2.

Ibid. v. 30.

Psal. 118, 11.

Exod.

Sup. 3, 2.

Cyp. lib. 2. epist. 2.